

6
21-g
31

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
14 MA
31

Bibliotheca
Coll. Rom.
Soct. Jesu
20-c-15

20
C
17

5-21 g 21

[illegible]

[illegible]

Ex [illegible] Auctoris

Pro Bibliotheca
Collegii Romani Soc. J.

Digitized by Google

HYMNI ECCLESIASTICI NOVO CULTU ADORNATI.

Auctore MARTINO CLAIRÉ, *Societatis* JESU *Preſbytero.*

EDITIO TERTIA.

Hymnorum plurimorum acceſſione cumulatior.

Bibl. Coll. Soc
Soc Rom. Jesu

PARISIIS,
Apud Viduam CLAUDII THIBOUST,
ET
PETRUM ESCLASSAN, Jurat. Bibliop. Univerſitatis ordin. viâ D. Joan. Later. è regione Collegij Regij.

M. DC. LXXX.
CUM PRIVILEGIO REGIS.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE



Digitized by Google

corum intervallo disjunctus, nec externarum rerum, gentiúmque deditus cognitioni, in hanc tamen notitiam venerim, tuique captus adeo fuerim ſplendore nominis, & magnâ celebritate famæ, ut mea propemodum tenuitatis oblitus, te, tantum ſcilicet hominem, & ſummis rebus intentum, ſcriptis meis adire, & interpellare non dubitarim.

Quamquam omnino reticere nolim quantum momenti, ut id auderem, attulerit vir tibi non ita pridem notus; mihi verò cognitus inprimis, idémque amicitiâ, juxta ac profeſſione conjunctiſſimus: ille nimirum, qui cum præſtantiſſimo fratre ſuo, Regis Chriſtianiſſimi Oratore, tuâ ſæpe dignatus conſuetudine, & ad humaniſſima, doctiſſimáque admiſſus colloquia, ſic ad amorem tui, & cultum exarſit, tuæ factus virtutis ſapientiæque teſtis & admirator, neminem ut norit, quem non ejuſdem no-

nis tui, ac dignitatis ſtudioſum atque obſervantem velit.

Ego ſanè tot me tui cultoribus li- ‹ı›s ac volens adjungo, non ſingu- ‹l›i minùs amici permotus hortatu & ‹ex›emplo, quàm exiſtimatione pu- ‹bli›câ & communi illuſtrium virorum ‹con›ſenſu. Cujus enim in Europa vel ‹cla›rior virtus quàm tua, vel doctri- ‹na› notior, vel major fama? quâ de- ‹mu›m effectum eſt, ut quod tibi pro- ‹pri›um eſt in Paderbornenſi ditione ‹pa›latium, jam unum idémque ſit ‹co›mmune virtutum omnium domici- ‹liu›m, & aperta omnibus ad ſacras, ‹hu›manáſque literas Academia: un- ‹de› expectantur aliquando præclara ‹in› omni diſciplinarum genere opera, ‹qu›ibus profectò quaſi immortalibus ‹mo›numentis, & tua in univerſam ‹re›m literariam commendentur merita, ‹&› glorioſa ingenij tui doctrinæque ‹me›moria conſecretur.

Quam enim ſcriptionibus, in

quas jam incumbis, ſpem non facis, qui prioribus tuis, & juvenilibus etiam ſcriptis, tantam ubique tibi famam conciliaſti? Teruntur omnium manibus ac ſermone elegantium tuorum carminum libri; admirantur omnes non doctiſſimas tantùm illas in Paderbornenſia monumenta animadverſiones tuas, ſed ipſas etiam monumentorum inſcriptiones elaboratis carminibus exaratas: in quibus nec brevitas rerum obſcurat intelligentiam; nec amplitudo materiæ, ejúſque explicandæ difficultas, concinnitatem metri aut ſermonis labefactat.

Quare omnino perſuaſum habui, neminem Hymnorum noſtrorum Iudicem fore æquiorem te, qui, cùm de hiſtoricis ejuſmodi rebus, implexis adeo, ac per ſe amplis, tam breviter, tam clarè, támque eleganter ſcribere potueris, intelliges certè quàm difficile & operoſum fue-

, inuſitatam his temporibus te-e, quam conſectatus ſum, viam, hoc præſertim Hymnorum, qui in lis omnium manibúſque verſan-, argumento.

am verò quòd Hymnos novo à inſtructos cultu, non miſerim ad duntaxat legendos, ſed uni po-imùm tibi, CELSISSIME PRIN-PS, conſecrandos eſſe duxerim: it equidem ſpectata erga Dei cul-n pietas tua, & ſingularis ſacro-n rituum cura. Nam cùm hanc cij Divini partem, in primis no-em, exornandam ſuſcepiſſem, n putavi fore illam non acceptiſ-iam tibi, qui pro eo, quo ſem-ardes, Divinæ Religionis ac di-itatis tuendæ ſtudio, totum te ſa-s inſtituendis rebus & amplifi-ndis addixiſti.

Nempe ex quo primariis auctus honoribus Eccleſiæ, ipsique re-ndæ præpoſitus, tanto ſplendore in

Google

obeundis omnibus officiis effulſiſti ; meritò ut dubitari poſſit, plúſne tibi ſuis inſignibus atque infulis dignitates ſacræ contulerint, an tu ipſis; dum omnia illarum ornamenta in Religionis gloriam convertiſti. Quanto autem dicam virtutis, meritique fœnore? Nimirum, inſtauratione diſciplinæ, quam ſanctiſſimis moribus tuis ac legibus inſtituiſti; incredibili, quâ ſemper vigilas pro Chriſti grege, curâ; aſſiduo, quod præ te fers, aberrantium ovium ſtudio, doctrinâ, autoritate, munificentiâ, revocandarum: omnibus demum laudibus cùm optimi Principis, tum maximi Præſulis, cujus utriuſque muneris, digniſſimè & ſuſtines nomen, & partes exples. Hæc enim tuorum ſunt publica meritorum monimenta, hæc dignitatum & honorum inſignia, quæ deinceps toti Eccleſiæ perpetuo futura ſint ornamento, populis omnibus

nerationi, Principibus autem ac raſulibu admirationi & exem-
?.

Quidni igitur ego tibi, CEL-
SSIME PRINCEPS, *tantis ei beneficiis cumulato, Hymnos ſeram, Divinis laudibus conſe-atos, & cum illis ad te, quaſi inicium dicturus, accedam? Ve-m quamcumque captare velim ra-ınem, tuæ, ſi quo modo poßim, oriæ ſerviendi, hoc mihi pro certo ıbendum videtur, neminem eſſe, ıi magis munuſculum iſtud placi-rum ſit, quàm tibi; qui ſacra ıter ſtudia, publicáque negotia, ıum, ſi quod eſt, otium literis hu-ıanioribus impendis; nec decentem ſpernaris politámque Poëſim, cui ınè tam accuratam ac felicem ope-ım navas, ut eruditorum omnium dmirationem meritus ſis; nec ullus rè ſit inſignium Poëtarum, qui ripta à te carmina ſuis carminibus*

celebrare , & adoptivis tuis annumerari ſua non cupiat.

Mihi verò, cui ad ejuſmodi gloriam aſpirare non licet, hærebit in animo ſemper memoria nominis tui, cum ſingulari laudum tuarum ſtudio conjuncta; eritque magnæ gratiæ, & honoris loco, hac ſaltem meâ placendi tibi voluntate placuiſſe. Neque fieri poſſe diffido, ut quos jam omni prorſus autoris commendatione deſtitutos Hymnos tam humaniter excipis, eoſdem poſtmodum tuâ munitos autoritate, uti & nomine inſignitos, reddas; tótque reperiant aliquando fautores ac Patronos, quot virtutis imitatores tuæ cultoréſque precatur.

CELSITUDINI TUÆ.

Addictiſſimus MARTINUS CLAIRE' Preſbyter Societatis JESU.

DE

DE VERA

ET PROPRIA

HYMNORUM

ECCLESIASTICORUM

RATIONE

DISSERTATIO.

HYMNORUM uſum, inſtitutionem, ac finem expendenti fficile non erit judicare quales eſſe orteat, qui noſtris in Sacris ad Dei ltum adhibentur. Eſt autem Hymis, ex illo carminum genere, quod ræcis dicitur ᾠδὴ, hoc eſt cantus, i in alicujus laudem comparatus, cundo, & eleganti ſtylo pangir.

Hymnus igitur Officio Divino conſecratus, cantus eſt quidem, & poëticis numeris adſtrictus; ſed cantus ſacer, cùm in ipſius Dei laudem factus ſit; nec ſuo carens decôre, qualis Eccleſiam decet, *Quam vult exhiberi ſibi Christus non habentem maculam neque rugam.* Ita verè ac piè dixit Urbanus VIII. inter Sanctos ac Summos Pontifices dicendus meritò Sanctiſſimus Maximúſque, tum illuſtribus factis, & virtutum exemplis, tum rebus pro communi Reipublicæ Chriſtianæ bono præclarè geſtis, aut ſapienter inſtitutis: quorum in ultimis ponendum non eſt ſingulare illud pietatis ac Divinæ laudis ſtudium, quo nihil omiſſum voluit ad tuendum & promovendum, quem ſummoperè *dilexit*, *decorem domûs Dei.* Ei certè quantùm cordi eſſet ſacrorum Hymnorum nitor, non obſcurè declaravit nova Breviarii Romani recognitio, in qua eò uſque haberi voluit Hymnorum rationem, ut illorum præ cæteris emendationem ſplendorémque ſpectaſſe videatur.

In Bul. pro Recog. Bre. Rom.

An verò ad ſacros exornandum

Iymnos adſciſcendi etiam rhythmi nt,non levis poteſt eſſe controverſia. Ion deſunt enim qui Eccleſiæ preci-
ıs & canticis rhythmicè ſcriptis im-
ınsè faveant, aliis tamen reclaman-
bus, qui hunc extremarum ſyllaba-
ım luſum, novum veluti ac barba-
ım imperitorum inventum vix ac ne
ix quidem ferre poſſint.

Qua de re, ne vana & inutilis mo-
ıatur quæſtio, hoc primùm certum
nnibus ac notum habeatur, nullam
ìc intercedere nobis cum probatis
oëtices autoribus circa rhythmo-
ım uſum diſceptationem. Quis enim
ſi dementer contendat, illuſtrium
oëtarum carmina, verſibus pari ver-
orum exitu terminatis, concinnata
iſſe olim, aut concinnari aliquando
buiſſe? Sed tota in eo ſita eſt con-
overſia, ut ſtatuatur, an hæc, de
ıa nunc agitur, rhythmicorum car-
inum forma, ab antiquis, præci-
ıiſque Hymnorum ſacrorum ſcri-
oribus uſurpata fuerit: ac deinde,
ı ipſi rhythmi ad Eccleſiæ cantus re-
ıra ſint idonei, illiſque ſic con-
uant, ut germanâ ſimul cum lati-
tate, rectâque Poëſi appoſitè con-
ngantur.

Cùm igitur de his duntaxat Hymnis diſputandum ſit, quos ipſa ſuum ad uſum fecit, aut approbavit Eccleſia, quis illam continuò non aſſerat rhythmorum ſemper ſtudioſiſſimam fuiſſe, iiſque ſuos Hymnos, ex omnium ætatum memoria, ornare ſolitam? Enimverò ſi univerſam Hymnorum, quotquot extant, congeriem inſpicere non piget, fatendum erit omnino, illorum quamplurimos, & vetuſtiſſimos quidem reperiri, qui nulla carminis laude, ſed ſolius rhythmi commendatione valeant: aliorum verò, qui juſto, aut tolerabili metro conſtant, aut nullos eſſe, aut paucos, in quibus inſertus identidem, quaſi ad ornamentum, non appareat aliquis rhythmorum numerus: ac univerſim priſcos illos ſcriptores Hymnorum, ſuos verſus, ſi non legitimis ubique Poëticæ metris, at certè conquiſitis undique rhythmis, adornaſſe: cùm planè ſtatutum haberent, ſi Poëticæ leges liberam aptámque rhythmorum compoſitionem non ſinerent, renuntiandum potius eſſe carminibus, quàm rhythmis, quorum ingenioſâ, ſuavíque conſonantiâ, mentis conciliaretur

Vide Elucid. Eccl Clicthov.

ttentio, juvaretur memoria, & humanæ voluntates ad pietatem jucunè traherentur.

Unum hîc appello eximium teſtem). Auguſtinum, qui ad imbuendos ſaræ fidei dogmatis populorum aniɔos, illóſque adverſus Donatiſtas prçɔuniendos, prolixum ſuper ea re ſcriſit Hymnum, ſive ut vocat, pſalmum, ui rhythmis illuſtrando ita ſe vir ocupatiſſimus addixit, ut quadraginta ıpra ducentos verſus, ſub una eadémue ultimâ deſinente ſyllabâ, confeceit. Extat hic Hymnus inter ejus opeı, illúmque poſteà in ſuis Retractaonum libris approbat, declarátque ac arte factum à ſe fuiſſe, ut ad omium captum & canendi uſum eſſet ccommodatior. Nobis verò hinc deıonſtratur ampliùs, Hymnorum rhyımicorum, tum ad canendum docenámque utilitas, tum etiam antiquus ı Officiis Divinis uſus. *Initio Tom. 7.*

Quòd ſi illorum ortum à fonte reɔtere placet, idem erit & Chriſtianæ eligionis, & Hymnorum hujuſmoi principium : cujus rei locuples teis eſt, idémque ſpectator Philo Jueus, vir utique primis Eccleſiæ tem-

poribus æqualis. Is enim ſcribens de ſanctiſſimis primorum Chriſtianorum moribus, ritibúſque (hos autem Eſſenorum nomine ab eo deſignari tradunt Hieronymus, aliíque Patres) ſuos illis fuiſſe teſtatur Hymnos, illóſque rhythmicos, quos ſinguli privato quiſque in ſeceſſu, & ſimul ſuis in cœtibus, alternis choris concinerent: *Non ſolùm*, ait, *contemplationi vacant, ſed etiam Cantica & Hymnos in Dei laudem componunt; vario metrorum, carminúmque genere, rhythmis concinnatos.*

ὥςʼ οὐ θεωροῦσι μόνον, ἀλλὰ ϗ ποιοῦσιν ᾄσματα, καὶ ὕμνους, εἰς Θεὸν, διὰ παντοίων μέτρων, ϗ μελῶν, ἃ ῥυθμοῖς σεμνοτέροις ἀναγκαίως χαράττουσι, &c.

Quid ad rem noſtram aptius, quid convenientius afferri queat? Jam enim apparet ex his, nec rhythmicorum carminum concinnitatem novitium aliquod inventum eſſe, ut prætexebatur; neque hinc etiam (quod erat alterum criminandi caput) ullam in metrum, aut in dictionem, barbariem induci; quando probatum eſt jam inde à primis Eccleſiæ temporibus, Hymnos non modò cum rhythmis ſcribi ſolitos, ſed & poëticis ornamentis non caruiſſe.

Verumtamen addi aliquid ampliùs poteſt, quo & antiquus ille Hymnorum rhythmicè ſcribendorum modus

:miùs ſtabiliatur, & jucunda rhy-
ımorum cum ſacris Hymnis neceſſi-
do magis ac magis eluceſcat. Ut
ıim convenit inter eruditos, nihil
ıſonum magis eſſe, alienúmque à
gnitate, &, ut ita dicam, ab liber-
te orationis, quæ ſoluta dicitur,
ıàm frequentem vocum ſimiliter ca-
:ntium affectationem; ita etiam
ıntrà, nihil excogitari poteſt ido-
:um magis & conſonum ſacris Hym-
s, qui toti facti ſunt ad canendum,
ıàm numeroſus elegantium rhyth-
orum tenor, quibus feſtiva magis
ficiatur ac venuſta modulatio.

Nam, cùm Hymnorum fermè om-
um verſus perbreves ſint, & recur-
ntibus in fine cujuſque versûs, iiſ-
:m ſemper ſyllabarum, ſeu pedum
ımeris, iidem etiam reſpondeant
ıngruentes in cadendo ſoni: quis
ntillo præditus aurium judicio, non
;noſcat, tum demum elegantem il-
m ac perfectum Hymnum cenſeri
ıſſe, qui ad legitimam quidem Poë-
os formam elaboratus, paribus ni-
ilominus, & ſimiliter deſinentibus
:rborum juxta ac cantûs ſonis, ſimul
ınſtet! Quod verum adeo, certúmque

eſt, ut deficiente pluribus in Hymnis, accuratâ metri ratione, iidem tamen univerſæ ſemper Eccleſiæ probati fuerint, & maximè grati, dummodò illis convenientes concinníque rhythmi non deeſſent. Quod vel ex hoc uno maximè patet exemplo Hymnorum ſcilicet de Sanctiſſimo Sacramento, qui magno totius Eccleſiæ conſenſu recepti per omnem terrarum orbem aſſiduè decantantur. Nec dubium videtur, quin plures ex antiquis ejuſdem generis Hymni, intacti ſimiliter in Officiis Divinis etiamnum remanerent, ſi pari ſententiæ & rhythmorum elegantiâ præſtitiſſent.

Ex his itaque primùm conſtat Eccleſiaſticos Hymnos cum ſuis rhythmis formatos eſſe, ac veluti natos; tum verò eoſdem cum illis adultos & propagatos, ad hæc uſque tempora perſtitiſſe. Certum eſt deinde, nullam ineſſe ſacris Hymnis, Latinis nimirum Odis, cum rectâ Latinitate, ac juſtâ Poëſi repugnantiam, uti palam fecit Urbanus VIII. qui veteres Romanæ Eccleſiæ Hymnos ad carminis & Latinæ orationis leges revocari curavit, & novos à ſe eleganti ſtylo &

mine elaboratos adjecit. Poſtremò
tùr reſtat, ut iidem Hymni, nunc
num, veterum more, ad priſtinam
oque rhythmorum venuſtatem, ſua-
atémque reducantur; qui porrò
ecipuus eſt, propriúſque hujus edi-
nis Hymnorum ſcopus.

Nemo enim ſibi perſuadeat, ipſos
c improbari, quos Eccleſia dudum
obavit Hymnos; aut novos, quos
ſa non probavit, nec vidit, tanquam
gitimos & approbatos induci; vel
rtè incognitam hactenus, & inau-
tam præſcribi imponique Hymno-
m ſcribendorum formam: quis enim
ſque ulla autoritate Eccleſiæ tan-
m ſibi ſumat, & arroget? Fuit igitur
ium iſtius, non dicam operis, ſed au-
icis cujuſdam conatûs, propoſitum,
io experiri placuit, an illi ipſi
Hymni in Eccleſiâ pridem uſurpati,
uſdémque juſſu in debitam Latini
rmonis, metríque poëtici dignita-
m aliquando reſtituti, poſſint etiam,
rvatis latinitatis & carminis legi-
us, priſtinâ rhythmorum elegantiâ
c exornari, nihil ut inde obſcurita-
s aſpergatur ſententiæ; nihil aſperi-
itis, metro; nihil labis, dictioni;

quibus inter ſe conciliandis quid operæ ſubſit ac laboris, nemo ſatis intelliget, qui ſe nunquam hujuſmodi ſcribendis Hymnis exercuerit.

Sed jam aliunde nova exſurgit difficultas. Nam cùm Hymni, non ſtyli exercendi causâ, nec lectionis duntaxat ſtudio, ſed canendi gratiâ conficiantur: tanti non intereſt ut politi & elegantes ſint, quanti ut ad rectam modulationem, & ad pietatem excitandam idonei fiant. Enimvero cùm ſacra Pſalmodia juxta piam Urbani

In ead. Bul. Vrb. VIII. VIII. mentem, ſit ejus Hymnodiæ filia, quæ canitur aſſiduè ante ſedem Dei, & Agni: ut illi ſimilior prodeat, nihil, quantùm fieri poteſt, præferre debet, quod pſallentium animos, Deo ac Divinis rebus, ut convenit, attentos avocare aliò ac diſtrahere poſſit.

Sunt autem ejuſmodi in primis, vel obſcurum aliquid aut ambiguum, quod animum ſuſpenſum teneat; vel profanum, quod pias mentes offendat; vel durum in verbis, quod pronuntiando, audiendóve moleſtiam faciat; vel interciſum in carmine, quod verborum ſenſum perturbet, aut ipſum cantum difficilem, & ingratum effi-

ıt. Quæ cùm revera ſint & metri & ntûs ſuavitati contraria; tum etiam uſmodi, quæ ab hoc carminum gere ſimul & ſemel ablegari perıam difficile ſit.

Horum tamen omnium, quæ in ɔëtica Pſalmodia, duritatis aliquid ıbent aut incommodi, vix quidquam peries in iis, qui hîc exhibentur ymnis; ubi nulla mentio Orci, A:rni, Tartari, & ſimilium vocum, ıæ Poëticas fabulas, & Gentium tus olent: Ubi ſervatâ quantùm liıit, priorum Hymnorum ſententiâ, :c violatâ uſpiam carminum lege, ılla tamen facta eſt mutatio pedis in terum qui pluribus quàm ille ſyllaſs conſtet, ut puta Iambi, aut Sponæi, in Anapæſtum; nullus vocalium ɔncurſus, qui ſyllabæ alicujus inciɔnem exigeret; nullius planè Poëtiæ licentiæ uſus; nulla denique in :nſu verborum interruptio: Sed abɔluta ſemper cum ſingulis verſibus rationis ſententia, vel ſaltem ſuſenſa leviter, & ad ſequentem verım quaſi ſponte producta, ſine vi, ıne obſcuritate, ſine deformitate :antûs.

Quod ſtatim, opinor, nec injucundè manifeſtum cuique fiet, qui hos Hymnos inſpicere curiosè, & cum veteribus, imò etiam cum recentioribus, conferre voluerit. Unde tandem efficitur, ut in iiſdem decantandis vix ulla reperiri poſſit quæ mentem vel aures lædat diſſonantia, ac potiùs mutua & conſtans inter ſe concordia tum dictionis cum metro, tum cantûs cum ſententia, quâ & piè oblectentur aures, & animus in Dei laudes & amorem permoveatur.

Quamobrem ſi ad hoc audendum & conandum plus animi fuerit, quàm facultatis ad implendum: haud tamen invidioſum erit, hanc Poëſim tam ſeveris legibus addictam, ſed ad Dei laudes celebrandas non parum idoneam, attentaſſe. Nec verò ſupervacaneum eſt, opus olim expetitum, nunc tandem adumbratum, tradidiſſe peritioribus abſolvendum, vel certè quo fieri & perfici modo poſſit, indicaſſe.

NOTÆ

NOTÆ
QUORUMDAM
HYMNORUM
PROPRIÆ.

QUONIAM ea eſt Hymnorum Eccleſiaſticorum dignitas, nihil ut horum niſi cum reverentia attingere, aut attrectare conveniat: non erit abs re ſingularia quædam novæ hujus Inſtitutionis aperire, & quam ob rem facta fuerint, annotare.

1. *In Hymnis Officiy Communnis de Tempore, id eſt, extra Adven-*

tum & Quadrageſimam ; ſublata ſunt , quæ in ſenſu & verbis vulgaria nimis , & humilia videri poterant. Reducta etiam eſt in breviorem & clariorem ſenſum Hymnorum ſententia , & redacti in minorem numerum verſus , in quibus non placebat nonnullis frequens tautologia. Neque etiam probabatur omnibus nimia illa (quâ plerumque hi conſtant Hymni) precum ſeries , ſeu poſtulationum , quæ vel confertis allegoriis & metaphoris obſcurantur , vel parum inter ſe , aut cum argumento convenire videntur.

2. *Quod pertinet ad Hymnos Officij Proprij de Tempore præcipuarúmque ſolemnitatum , & reliquos ferè omnes , perexigua facta eſt in illis mutatio , ea nimirum , quam vel obſcuritas tollenda , vel aliqua in verbis aut rhythmis venuſtas adhibenda , poſtulabat.*

3. *In carmine trochaico de Paſ-
ne ad Laudes, mutatur locus
ius ſtrophæ in locum alterius,
opter aptiorem, ejus cum alterâ,
ntentiæ connexionem.*

4. *In Feſtis Inventionis & Exal-
tionis S. Crucis, non obſervatur
utatio ſecundi versûs in penulti-
a ſtrophâ Hymni*, Vexilla, *uti
bat antè: quia ſequens jam ſatis
ccommodata videtur tribus hiſce
yſteriis Paßionis, & S. Crucis,
ùm Inventionis, tum Exaltationis:
d prima ſtropha Hymni trochaïci
d Matutinum, diverſis duobus mo-
is proponitur, altera luctui conve-
iens pro tempore Paßionis; altera
etitiæ, pro utroque Inventionis &
Exaltationis Feſto.*

5. *Hymno*, Ave Maris Stella, *
auca adhibita ſunt, quæ ad rhy-
hmorum integritatem, & ad intel-
igentiam, connexionémque ſenten-*

I ij

tiæ, addi poterant, relictâ tamen antiquâ liberioris metri formâ.

6. Ad diſtinctionem Confeſſorum Pontificum ab aliis Confeſſoribus, propria utriſque attributa eſt prima ſtropha in Hymno, Iſte Confeſſor; *item in eadem ſtropha omiſſa eſt conſultò mentio diei obitûs, his verbis*, Hac die lætus, &c. *quæ cùm ad laudem Sancti parum conferat, tum verò canentibus in primis, necnon recitantibus, perturbationem & moleſtiam affert, ob eam quæ crebrò & incogitantibus nobis facienda eſt, mutationem; dum Sancti alicujus Confeſſoris, non Natalis dies, ſed Translationis, aut alterius ſolemnitatis agitur. Quamobrem in Hymno SS. Confeſſorum non Pontificum ad Laudes, omiſſa eſt etiam integra tertia ſtropha; quia non convenit omnibus Sanctorum ejuſmodi Confeſſorum*

Feſtis, ſed tantùm diei obitûs.

7. *Hymno Matutino de SS. non Virginibus, tam Martyribus quàm non Martyribus, præmiſſa eſt ſua utrique ſigillatim ſtropha, quam pro initio addendam ſuggerebat, quæ prima reperiebatur, ſequens ſtropha,* Hujus oratu, &c.

8. *Eccleſiæ Dedicationis Hymni in priſtinam formam reſtituti ſunt, ſed accuratè, ſervatis trochaïci carminis legibus: ſententiæ verò illuſtrata magis quàm mutata.*

Ex quibus tandem omnibus, ſatis apertè conſtat, quantâ ſit cautione præviſum, laboratúmque, ut in hac Hymnorum editione, nihil non cum ſacris Eccleſiæ inſtitutis, ritibúſque, omni ex parte conſentiret.

APPROBATIO DOCTORUM.

PURIOREM in Hymnis ſacris Latinitatem deſiderabat apud nos litterarum amor, ut in iis, rerum quas exprimunt majeſtati propemodum par eſſet venuſtas: vereri tamen aliunde poterat ſtudium Religionis ab exquiſito cultu, ne quid inde ſeu profanum, ſeu molle in eos obreperet, quo fortè eorum ſanctitas, ſeu vis quædam, quæ in iis eſt planè divina, paululum imminueretur. Artem invenit author noſter, piùs perinde ac eruditus, qua novis facundiæ ſalibus antiquas condiret ſententias, & quemadmodum ſapientiſſima Judith *diſcriminavit crinem capitis ſui, aſſumpſitque dextraliola & lilia, & inaures, & annulos, & omnibus ornamentis ſuis ornavit ſe*, ſalva nihilominus integritate animi ac ſanctimoniâ; ita omninò Eccleſiaſticus hic Poëta, ſervata omni quæ *ab intus eſt, filiæ Regis*, hoc eſt *Eccleſiæ, gloriâ*, ſic externum illi *novumque contulit ſplendorem*, ut interno & ſacro, quo animatur ſpiritui, nullam vim vel offenſionem attulerit. Ita profectò ſentiet quiſquis opus hocce legerit, ubi nihil deprehendet, ſeu in dictione humile aut obſcurum, ſeu in metro aſperum aut incompoſitum; ſed omnia eleganter & diſertè diſpoſita, concinnè & nitidè diſtincta. Novas in eo experietur illecebras, quibus ad laudes Deo canendas ſuavius provocetur, æſtumque ex ipſo novum hauriet, quo ad numen colendum fiat alacrior. Lectorum eſto judicium: nos quidem, quibus hæc legere incumbit ex officio, id teſtimonii non poſſumus non ferre,

quòd libellus iſte, cui titulus eſt, *Hymni Eccleſiaſtici novo cultu adornati*, non modo inoffenſo pede percurri poſſit, in quo cùm nihil habeatur ab Hymnorum veterum ſenſu alienum, immòquæque ſint ad amuſſim ei conſona, tota doctrina Catholica ſit, & Romanæ fidei conſentanea, verum etiam nec ſine caſta ſingularique Chriſtianæ mentis voluptate evolui queat; in quo vix ſciamus utrùm magis admiremur authoris religionem, an peritiam. In cujus rei fidem noſtrum hîc Chirographum appoſuimus. In Sorbona die 7. Auguſti 1676.

G. Boust. Pirot.

Facultas R. P. Provincialis.

Ego infraſcriptus Provincialis Societatis Jesu in Provincia Franciæ, permitto ut typis mandetur Liber, qui inſcribitur *Hymni Eccleſiaſtici novo cultu adornati*, ſcriptus à P. Martino Claire' Societatis noſtræ Preſbytero, & à tribus Theologis noſtris approbatus. In cujus rei fidem has literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo munitas dedimus. Pariſiis, die 13. Decemb. An. 1679.

Petrus de Verthamon.

SVMMA PRIVILEGII.

CAUTUM eſt auctoritate Regis, ne quis in Regno ipſius aliiſve locis ejus ditioni ſubjectis intra decem proximos annos *Hymnos Eccleſiaſticos à R. P.* MARTINO CLAIRE' *è Soc.* JESU *novo cultu adornatos* imprimat aut divendat, præter eum quem idem R. P. MARTINUS CLAIRE' Typographum elegerit: qui ſecus fecerit, mulctâ indictâ, prout amplius in Diplomate Regio continetur coërcebitur. Datum Verſaliæ die 10. Auguſti 1676. Sic ſignatum, De mandato Regis, DENIS.

SUMMA
NOVÆ HUJUS
HYMNORUM
INSTITUTIONIS.

HYMNOS novos exhibemus; hos tamen ab antiquis nec religionis cultu alienos, nec ſententiâ diſſidentes. Non eſt enim hujus inſtituti, Hymnos emendare, quos jam recepit pridem Eccleſia, & longo uſu comprobavit, quod temeritatis eſſet; ſed ex iiſdem novum aliquod formare & efficere Eccleſiaſtici carminis genus, quod in eumdem ſenſum adductum, ad cantum etiam ſic aptum, jucundúmque ſit, ut nihilo tamen pietati minùs congruum reperiatur.

Opus in ſpeciem leve, at certè labore graviſſimum, & ea re ſingulare; quod ſeveris & non paucis adſtrictum ſit legibus, quas ſimul omnes ſcribendo complecti, nemo hactenus Poëtarum attentarit.

1. Equidem de hac ſacra Poëſi exterminantur primùm cùm voces barbaræ omnes, tum præſertim illæ quæ poëticas fabulas ſapiunt.

2. Excluduntur deindè vocalium eliſiones, & certæ, quæ dicuntur Poëtarum licentiæ, quibus pes unus carminis legitimus mutatur in alium, qui pluribus conſtet ſyllabis; atque inde auctus ſyllabarum numerus non parum canentibus incommodare ſolet.

3. Similiter ablegatur quidquid vel obſcuritatem in ſenſu, vel ambiguitatem in verbis, vel in ſono duritiem habet; id omne denique quod pias mentes offendere, vel ab divinis avocare meritò poſſit.

4. Ad hæc accedit accurata poëtici metri, juxtà ac latinæ puritatis obſervatio: utraque verò conſtanti, nec, opinor, invenuſtæ rhythmorum concinnitati conjuncta.

En totum operis inſtitutum , de cujus & ardua ſuſceptione & abſolutione perdifficili, non conſulimus lectoris feſtinantis præceps judicium ; ſed ad Judicis conſiderati & eruditi ſententiam provocamus.

Digitized by Google

PRIMA PARS.

HYMNORUM ORDO.

Hymni proprii de Tempore, & ſolemnitatibus Chriſti Domini.

Hymni communes de Tempore.

Hymni proprii de Sanctis.

Hymni communes de Sanctis.

HYMNI



HYMNI PROPRII
DE TEMPORE ET FESTIS CHRISTI DOMINI.

IN ADVENTU.

AD VESPERAS.

CReator alme ſiderum,
Æterna lux credentium,
In fine factus temporum
Homo redemptor omniū.
Qui nos amās vel noxios
Primi parentis crimine,

Venis Adami filios
Tuo lavare ſanguine.
Tu, noſtra factus hoſtia,
Par expiando crimini;
Cæli recludis oſtia,
Par demerendo Numini.
Tuis reguntur nutibus
Terrena per te condita;
Inferna cum cæleſtibus
Tibi miniſtrant ſubdita.
Summæ memor clementiæ,
Præſta pium te judicem,
Tuæ rebelles gratiæ
Cùm ſuſtinebunt vindicem.
Summo Patri cum Spiritu,
JESU, tibi ſit gloria,
Fauſto coronans exitu
Ortus tui myſteria. Amen.

AD MATVTINVM.

VERBUM ſupremi Numinis,
Splendor paterni luminis;
Deus latens in corpore,
Nobis loquens in tempore:
Tu, luce mentes robora,
Urens amore pectora;
Caduca cuncta negligant,
Æterna ſola diligant.

Ut, cùm malos perennibus
Vindicta tradet ignibus,
Et juſta juſtis præmia
Divina reddet gratia,
Non dæmonum conſortio
Jungamur ac incendio :
Sed cum beatis mentibus
Bonis fruamur omnibus.
O præpotens Divinitas,
In unitate Trinitas,
Concede nobis proſpera
Natalis almi tempora. Amen.

AD LAUDES.

CÆLESTE Verbum perſonat,
Audite, grex fidelium ;
Vox clara terris intonat,
Salus adeſt mortalium.
Quin mens ſopore libera,
Se jam caducis abdicat ?
Vultus levans ad ſidera,
Sol unde verus emicat.
En lapſus Agnus æthere
Terris reducit gratiam :
Nos pœnitenti pectore
Precemur indulgentiam.
Ut, cùm redibit ultimò
Scrutator ille cordium,

Metu ſolutis intimo
Donet perenne gaudium.
Tibi, Redemptor, gloria,
Patri ſimul cum Spiritu,
Per te fruamur patriâ
Vitæ beato tranſitu. Amen.

IN NATIVITATE DOMINI.

AD VESPERAS & Matutinum.

IEsu, redemptor omnium,
Spes una te colentium,
Numen pari de Numine,
Homo Deus de Virgine,
Tu, ſumma Patris claritas,
Tu, corporata charitas,
Preces tuorum ſuſcipe,
Qui te triumphant principe.
Memento, rerum conditor,
Quòd ſponte factus debitor,
Primi Patris pro crimine,
Es matre natus virgine.

Teſtatur hoc præſens dies,
Optata mundo millies,
Quòd ſede miſſus ætheris,
Ad nos redemptor veneris.
Te matris inter ubera,
Jam terra, pontus, ſidera
Feſto celebrant publico,
Novóque laudant cantico.
Et nos, tuo qui ſanguine,
Sacro ſalutis germine,
Gratis redempti vivimus,
Laudis tributum ſolvimus.
Tibi, Patri cum Flamine,
Qui natus es de Virgine,
JESU, perennis gloria,
Sit in ſuperna curia. Amen.

AD LAUDES.

A SOLIS ortûs cardine
Ad uſque terræ limites,
Natum Mariâ virgine
Chriſtum celebrent Cælites.
Beatus auctor ſæculi,
Ne perderet, quos condidit,
Formâ ſub imâ ſervuli
Semet redemptor perdidit.
Caſtæ parentis viſcera
Superna virtus præparat:

Dei patrantur dexterâ,
Quæ nulla mens perceperat.
Alvus pudicæ virginis,
Ut abſque labe lilium,
Effecta templum Numinis
Dei recepit filium.
Enititur puerpera,
Quem Gabriel prædixerat;
Materna quem trans viſcera
Præcurſor antè viderat.
Fœno jacens exponitur,
Quem virgo munda parturit;
Lactiſque ſtillâ paſcitur,
Per quem nec ales eſurit.
Exultat in cæleſtibus
Vocum chorus concordium;
Palámque fit paſtoribus,
Et paſtor, & rex cordium.
Jesu, tibi ſit gloria,
Qui natus es de Virgine;
Sit in ſuperna curia
Honor Patri, cum Flamine. Amen.

IN FESTO
SS. INNOCENTIUM.
AD MATUTINUM.

AUDIT tyrannus anxius,
Fraudum ſuarum conſcius,
Adeſſe regum judicem,
Sceptri Sionis vindicem.
Turbatur amens nuntio;
Iniqua fertur juſſio,
Cunas repleri ſanguine,
Omni procul diſcrimine.
Heu! qualis innocentium
Strages adeſt infantium!
Sed, qui tot inter quæritur,
Impune Chriſtus tollitur.
JESU, tibi laus parvulo,
Caſtæ paréntis floſculo,
Qui dux es innocentium,
Infans amans infantium. Amen.

AD LAUDES
& ſecundas Veſperas.

SALVETE, flores Martyrum,
Quos crimen hoſtis barbarum,
Ceu turbo præceps abſtulit,
Recens ut ortus extulit.
Vos prima Chriſti victima,
Pars Cælitum tenerrima,
Palmis, cadendo, luditis;
Non cogitantes vincitis.
JESU, tibi laus inclyto,
Cum Patre, cum Paraclito,
Qui flos es Innocentium,
Infans amans infantium. Amen.

IN EPIPHANIA DOMINI.

AD VESPERAS
& Matutinum.

MUNDI redemptor natus eſt;
Cur mundus hinc turbatus eſt?

Non eripit terreſtria,
Qui regna dat cæleſtia.
Dant ſe Magi tres in viam,
Stellam ſequentes præviam;
Et quem vident in ſidere,
Deum fatentur munere.
Adæ prioris debita
Reddit ſecundus irrita:
Intrat lavacrum fluminis,
Flumen daturus ſanguinis.
Lætæ ſequuntur nuptiæ;
Signum datur potentiæ;
Qui juſſus undas attulit,
In vina verſas protulit.
Jesu, fave credentibus,
Qui te révelas Gentibus:
Tibi, Patri cum Flamine
Sit laus in uno Numine. Amen.

AD LAUDES.

O Bethlehemi mœnia,
Dignata, cæli munere,
Hunc, facta quo ſunt omnia,
Incorporatum gignere.
En ſtella ſole clarior
Illum Magis annuntiat,
Qui regibus potentior
Jus orbe toto ſanciat.

Ad ſigna cæli proſpera
Se, quò vocantur, conferunt;
Chriſtóque myrrhæ munera
Aurúmque, thúſque deferunt.
Auro poteſtas regia,
Divina, thure promicat;
Et funeris præſagia
Oblata myrrha prædicat.
Lumen, Deus, de lumine,
Qui te revelas Gentibus,
Tibi, Patri cum Flamine,
Laus ſæculis ſit omnibus. Amen.

IN QUADRAGESIMA.

AD VESPERAS.

AUDI, benigne conditor,
Supreme mundi cognitor,
Junctas quadragenario
Noſtras preces jejunio.
Scrutator imi pectoris,
Quod deſit adde roboris:
Ad te reverſos excipe,
Ut te regamur principe.
Multùm quidem peccavimus:
Sed nos pium te novimus;

Sit hæc tui laus nominis,
Donare noxas criminis.
  Carnis doma licentiam
Per carnis abſtinentiam;
Ut corporis jejunium
Sit mentis in convivium.
  Præſta, beata Trinitas,
Triúmque ſimplex unitas;
Ut dona ſint perennia
His qui colunt jejunia. Amen.

AD MATVTINVM.

EN tempus acceptabile,
Dei ſacrum præconio;
Culpis piandis utile
Deno quater jejunio.
  Antiqua Lex hoc approbat,
Vatum canunt oracula;
Hoc Chriſtus exemplo probat
Suprema vitæ regula.
  Ergò ciborum parciùs
Utamur indulgentiâ:
Caro prematur arctiùs,
Et ſenſuum licentia.
  Vitemus omnes noxia
Hoſtis venena perfidi;
Nec vana tradant otia
Ejus locum tyrannidi.

Flectamus iram vindicem
Ritu precantûm ſimplici;
Et ad benignum judicem
Dicamus ore ſupplici :
Noſtris malis offendimus,
Tuam, Deus, clementiam;
Largire, quam te poſcimus,
Redemptor, indulgentiam.
Scis nos tuæ quòd feceris
Opus caducum dexteræ :
Jugo premi ne ſiveris
Nos ſervitutis exteræ.
Dele malum quod fecimus,
Ne punias perenniter :
Duc ad bonum quò tendimus,
Ut te fruamur jugiter.
Præſta, beata Trinitas,
Nobis ut hæc jejunia
Cæli recludant ſemitas,
Et dona dent perennia. Amen.

AD LAUDES.

O SOL ſalutis, intimis,
JESU, refulge ſenſibus,
Dum, nocte pulsâ, proximis
Dies reſurgit ignibus.
En cor tibi pro victima
Largis ſolutum fletibus;

Amoris

Amoris igne concrema
Stratum tuis altaribus.
  Quâ perpetratum noxiâ
Fluxit nefas origine:
Hinc lacrymarum copia
Fluat ſalubri flumine.
  Hôc dum ſalutis tempore
Tecum reſurgunt omnia;
Nos innovato pectore
Ad ſancta duc ſolemnia.
  Te, prona mundi machina,
Clemens, adoret, Trinitas;
Dum noſtra laudum carmina
Grates rependunt debitas. Amen.

IN PASSIONE DOMINI.

AD VESPERAS.

VEXILLA Chriſti regia,
Crucis micant inſignia,
Quâ vita mortem pertulit,
Et morte vitam protulit.
  Hîc vulneratum lanceâ
Cor ſancta fecit balnea,
Fundens aquam cum ſanguine,
Ut nos lavaret crimine.

Hæc David antè ſenſerat,
Vateſque jam prędixerat,
Olim canens; *in Gentibus*
Regnavit à ligno Deus.
Arbor ſalutis proſpera,
Ornata Regis purpurâ,
Dignata, grandi munere,
Tam ſancta membra tangere.
Beata, cujus brachiis
Pendet medela noxiis;
Statera facta Numini,
Pœnas adęquans crimini.
O Crux ave, ſpes unica,
Salutis ara publica;
Dona piis conſtantiam,
Lapſiſque redde gratiam.
Tibi, beata Trinitas,
Virtus, honor, felicitas;
Nobis Crucis victoria
Sit pax, ſalus, & gloria. Amen.

AD MATVTINVM.

PLANGE, terra, luctuoſi
Funeris ſpectaculum,
Quo Redemptor, in probroſi
Servuli piaculum,
Hauſit orbis univerſi
Expiandi poculum.

Poſt Adæ ſcelus malignum
Indolente Numine,
Fit medela triſte lignum
Dulcis Agni ſanguine,
Gratięque juge ſignum
Expiato crimine.
Hoc opus noſtræ ſalutis
Ordo depopoſcerat;
Et dolos furentis hoſtis
Sic Deus pręverterat,
Ut ſalus foret redemptis,
Unde mors advenerat.
Ergo miſſus eſt ab aſtris
Pręſtituto tempore,
Natus ipſe, forma Patris,
Pro ſalutis pignore;
Virginíſque ventre matris
Tectus exit corpore.
Vagit infans inter arcta
Conditus cunabula:
Membra pannis involuta
Alligat virguncula;
Et manus pedeſque ſtricta
Jam coërcent vincula.
O beatæ ſortis omen!
O Dei captivitas!
Sit tibi perenne nomen,
O ſuprema Trinitas;
Unius, triníque numen
Laudet univerſitas. Amen.

AD LAUDES.

Iam docendi ſorte functus
Conſtituto tempore,
Paſſioni ſponte natus
Immerenti corpore,
Ecce pendet immolatus
Mitis Agnus arbore.
Languet acri felle potus,
Pallet ore, lumine;
Diffluítque vulneratus
Æſtuante ſanguine;
Hôc ut aſtra, terra, pontus
Abluantur flumine.
O ferale parce lignum,
Tenſa laxa viſcera;
Nil in iſto morte dignum,
Cujus urges funera:
Heu! benignè perfer Agnum,
Tanta qui fert vulnera.
Crux, Dei ſedes beata,
Digna cæli culmine,
Ligna vincis una cuncta
Fronde, flore, germine;
Tota dulcis, tota ſancta
Tincta Chriſti ſanguine.
Sola digna tu fuiſti
Ferre cęli pręmium,

Morte mortem quæ necaſti
Criminis ſtipendium ;
Perditęque ſuſtuliſti
Gratiæ diſpendium.
O beatæ ſortis omen !
O Dei benignitas !
Sit tibi perenne nomen ,
O ſuprema Trinitas :
Unius , triníque numen
Laudet univerſitas. Amen.

IN FESTIS
INVENTIONIS
ET EXALTATIONIS
SANCTÆ CRUCIS.

Iidem Hymni qui in Paſſione, mutatâ duntaxat primâ Hymni matutini Strophâ in hunc modum.

PANGE, lingua, glorioſi
Funeris ſpectaculum :
Dic amoris gratioſi ,
Dic Crucis miraculum ;
Quo Deus tulit probroſi
Servuli piaculum.

Poſt Adæ ſcelus, &c. *ut ſuprà de Paſſione,* pag. 15.

TEMPORE PASCHALI.

AD VESPERAS.

PASCHALIS Agni gloriam,
Merſis ſalutis hoſtibus,
Chriſti ducis victoriam
Mundis canamus cordibus.
Divina cujus largitas
Sacrum propinat ſanguinem;
Litat ſacerdos charitas,
Mactando carnem virginem.
Signata ſervat Angelus
Sacro cruore limina:
Infernus horret æmulus;
Merguntur undis crimina.
Fit Paſcha Chriſtus omnibus,
Paſchalis idem victima;
Et pura puris mentibus
Sinceritatis Azyma.
O charitatis hoſtia,
Terror ſalutis hoſtium,
Inferna claudis oſtia,
Cœli recludis oſtium.
Victor, ſubactis inferis,
Trophęa Chriſtus erigit;

Cives triumphant ætheris,
Mundi tyrannus aufugit.
Ut ſis perenne mentibus
Paſchale, Jesu, gaudium;
Da Chriſtianis omnibus
Jugem nitorem cordium.
Deo Patri, cum Spiritu,
Chriſtóque laus in æthere;
Qui glorioſo tranſitu,
Victo reſurgit funere. Amen.

AD MATVTINVM.

Supreme rector temporum,
Rex mentium, rex corporum,
Patri coævus tempore,
Ipſo minor, cum corpore.
Qui nos, Adæ propaginem,
Tuam creans imaginem,
Oris ſupernis editum,
Limo jugaſti ſpiritum.
Sed arte poſtquam dæmonis
Fœdata forma Numinis;
Tu carne tectus exterâ,
Formam reformas dexterâ.
Qui veneras ab æthere,
Nunc naſceris de funere;
Novis ut aucti viribus
Redintegremur moribus.

Sancto lavas qui flumine
Tuo redemptos ſanguine :
Hoc eſt lavacrum ſordium,
Felixque vita cordium.
Nobis crucem qui debitam
A Patre ſumis traditam,
Tuæ ſalutis prodigus,
Noſtri licet non indigus.
Ut ſis perenne cordium
Paſchale, Jesu, gaudium,
Da Chriſtianis omnibus
Tuis nitere moribus.
Deo Patri ſit gloria
Pro Filii victoria;
Ipſi, ſimul cum Flamine,
Sit laus in uno Numine. Amen.

TEMPORE PASCHALI.

AD LAUDES.

Aurora cælum purpurat,
Æther refulget purior,
Mundus triumphos apparat,
Infernus horret triſtior:
Cùm Chriſtus amplo fœnore
Penſat moræ diſpendia,

Ab inferorum carcere
Trahens Patres ad gaudia.
Vitam ſepulcro conditam
Multus ſatelles cinxerat;
Sed vita mortem ſubditam
Suo ſepulcro funerat.
Ne mortuum jam plangite;
Suis revixit viribus;
Sed ſuſcitatum credite,
Sic Angelis teſtantibus.
Ut ſis perenne mentibus
Paſchale, JESU, gaudium;
Da Chriſtianis omnibus
Veram ſalutem cordium.
Deo Patri cum Spiritu,
Chriſtóque laus in æthere,
Qui glorioſo tranſitu
Victo triumphat funere. Amen.

IN ASCENSIONE DOMINI.

AD VESPERAS.

SALUTIS humanæ ſator,
JESU, voluptas mentium,
Mundi redempti conditor,
Et caſta lux amantium.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE

Quâ victus indulgentiâ,
Tuo luiſti ſanguine
Quæ perpetramus noxia,
Noſtro reus pro crimine?
Jam liberatis Patribus,
Patet ſuperna civitas;
Cœli locanda ſedibus
Poſt te venit captivitas.
Hæc nos facit clementia
Cordis ſinus expandere,
Tuáque dante gratiâ
Ad aſtra tecum ſcandere.
Tu cauſa noſtræ gloriæ;
Spes, meta, vita cordium;
Fac nos tuæ victoriæ
Haurire juge gaudium. Amen.

AD MATVTINVM.

REx ſæculorum maxime,
Mundi redemptor optime,
Qui mortis ob victoriam
Refers triumphi gloriam.
Decore ſplendens vulnerum,
Tranſcendis orbes ſiderum,
Divina quò fert dignitas,
Junctæque carnis ſanctitas.
Ut cuncta per te condita,
Tibi, ſibíque reddita,

Subjecta ſanctis legibus,
Tuis regantur nutibus.
  Stupent videntes Angeli
Sortem beatam ſæculi;
Peccat caro, mundat caro,
Regnat Deus Verbum caro.
  Sis, Chriſte, noſtrum gaudium,
Vitæ piæ ſtipendium,
Mundi triumphans gaudia,
Veri boni diſpendia.
  Hinc te gementes poſcimus;
Ignoſce culpis omnibus;
Fac nos ſuperna quærere,
Terrena cuncta ſpernere.
  Ut cùm redibis omnium
Judex ſupremus gentium,
Pœnas remittas debitas,
Reddas coronas perditas.
  Jesu, tibi ſit gloria
Recepte cœli curiâ;
Tibi, beata Trinitas,
Virtus, honor, felicitas. Amen.

IN FESTO PENTECOSTES.

AD VESPERAS.

VENI, creator Spiritus,
Promiſſe nobis cœlitus;
Reple tuo nos lumine
Chriſti redemptos ſanguine.
Qui diceris Paraclitus,
Fons vivus, ardor inclytus,
Donum Dei, dilectio,
Et ſpiritalis unctio.
Tu ſeptiformis munere,
Virtus Paternæ dexteræ,
Dei Patris clementia,
Facunda Verbi gratia.
Accende lumen ſenſibus,
Cor ure ſacris ignibus;
Carnis gravatos pondere
Leva ſuperno robore.
Hoſtem repellas longiùs,
Pacémque dones ociùs;
Ut te ſequentes prævium,
Vitemus omne noxium.

Tu

Tu nos Patri cum Filio
Da ſcire quæ ſit unio;
Et te, duorum vinculum,
Per omne noſſe ſæculum.
Tibi, benigne Spiritus,
Per quem datur divinitus
Chriſti frui victoriâ;
Ipſi, Patríque gloria. Amen.

AD MATVTINVM.

IAM Chriſtus hinc abſceſſerat,
Reverſus unde venerat,
Miſſurus arce Cœlitum
Suum, Patríſque Spiritum.
Solemnis urgebat dies
Septena, ducta ſepties,
Implenda quâ promiſſio,
Paraclitíque miſſio.
Cùm lucis horâ tertiâ
Inſtat Dei præſentia,
Apoſtolis orantibus,
Cœlum tonat fragoribus.
Miro coruſcans lumine
Ignis venit de Numine,
Quo corda fiunt ignea,
Et verba fundunt flammea.
Sacris calent ardoribus,
Donis micant cœleſtibus;

Et proferunt oracula,
Et perpetrant miracula.
Stupent videntes Exteri,
Græci, Latini, Barbari,
Cunctos profari gentium
Repente linguas omnium.
Judæa tunc incredula,
Madere clamat crapulâ,
Stultos putans & ebrios,
Quos Numen implet ſobrios.
Sed quæ putant deliria,
Docet Petrus myſteria,
Verbis Johelis teſtibus,
Simul ſtupendis actibus.
Tibi, benigne Spiritus,
Per quem datur divinitus
Chriſti frui victoria;
Ipſi, Patríque gloria. Amen.

AD LAVDES.

BEATA nobis gaudia
Reddit dies amabilis,
Quâ Spiritûs incendia
Illapſa ſunt Apoſtolis.
Ignis vibrante lumine
Flammas amoris indidit;
Linguæ micans imagine,
Verbo potentes reddidit.

Linguis loquentes omnium,
Muſto putantur ebrii :
Cœtus ſtupent Gentilium,
Myſteriorum neſcii.
Loco patent hæc publico;
Palam Dei fit miſſio,
Curſu dierum myſtico,
Quo lege fit remiſſio.
Deus, parens piiſſime,
Illapſa nobis cœlitus
Effunde nunc largiſſimè
Divina dona Spiritûs.
Dudum ſacrata pectora
Tuo repleſti numine;
Quieta redde tempora,
Ab orbe pulſo crimine.
Tibi, benigne Spiritus,
Nato, Patríque gloria,
Per quem datur divinitus
Chriſti frui victoriâ. Amen.

IN TRANSFIGURATIONE DOMINI.

AD VESPERAS.

QUICUNQUE Chriſtum quęritis,
Mentes in altum tollite;
Extra viam quid curritis?
Hîc Chriſtus eſt, huc tendite.
Eſt lumen hîc mirabile,
Quod durat abſque tempore,
Quod perſtat immutabile,
Quod ſubſtat abſque corpore.
Hic ille rex eſt omnium,
Judaïci laus nominis,
Proles Patris credentium,
Spes ſempiterni ſeminis.
Illum Prophetis teſtibus
Summus Parens ab æthere
Edicit altis vocibus,
Audire nos, & credere.
JESU, voluptas cordium,
Qui te revelas parvulis,
Cœleſte fac nos gaudium
Cunctis habere ſæculis. Amen.

AD LAVDES.

LUx alma, Jesu, mentium,
Beata pax amantium,
Mentis fugans caliginem,
Cordi ferens dulcedinem.
O ſumma Patris claritas,
Felix homo quem viſitas!
Exundat hauſto Numine,
Submerſus ignis flumine.
Si talis es quærentibus,
Quem te dabis fruentibus?
Quod tunc erit ſolatium,
Et quod tui conſortium?
Rex, Chriſte, rex amabilis,
Qui te revelas parvulis,
Tibi, Patri, cum Flamine,
Sit laus in uno Numine. Amen.

IHS

HYMNI COMMUNES
OFFICII DE TEMPORE.

IN DOMINICIS

Ab Octava Epiphaniæ uſque ad Dominicam 1. Quadrageſ. & à Dom. propiori Kal. Octob. uſque ad Adventum.

AD MATVTINVM.

PRIMO dierum tempore,
Quo mundus olim conditus,
Et quo reſumpto corpore,
Eſt Chriſtus orbi redditus:
Demus ſopori parciùs,
Surgamus omnes ociùs;
Noctu Deum requirere
Sacræ docent nos litteræ.

Ut noctis in caligine,
Dei vacantes laudibus,
Sancto fruamur lumine,
Votis piè concordibus.
Præſta, Pater piiſſime,
Fili, Patris ſimillime,
Et tu, beate Spiritus,
Nobis adeſto cœlitus. Amen.

AD LAVDES.

RECTOR benigne temporum,
Qui pro ſalute corporum,
Diurna poſt negotia,
Nocturna reddis otia.
En mane primo ſurgimus,
Tu prima vota ſuſcipe:
Ut te juvante cœpimus,
Te proſequamur auſpice.
Extingue noxæ ſemina,
Virtutis auge germina:
Sic nos juves ſalubriter,
Sic te colamus jugiter.
Hæc te, beata Trinitas,
Junctis precamur vocibus;
Ut una nos felicitas
Jungat beatis ſedibus. Amen.

Ab Octava Pentecoſtes uſque ad Dominicam propiorem Kal. Octob.

AD MATUTINUM.

NOCTIS abruptis vigilemus horis,
Languidæ mentis procul eſte ſomni,
Et Deo grati reſonent canoris
Vocibus hymni.
Ut gravi pulſo ſcelerum veterno,
Solis æterni recreemur ortu,
Cœlitum digni Dominum ſuperno
Pſallere cantu.
Sit decus laudis tibi ſempiternum,
Qui ſupra cæli reſidens cacumen,
Jugiter trino celebraris unum
Nomine Numen. Amen.

AD LAUDES.

ECCE nocturnis veniens ſub umbris
Lux coruſcanti redit alma vultu;
Nos Deum pulſis colimus tenebris
Supplice cantu.

Lucis ut vibrans radios ſerenæ,
Spem ſimul noſtræ tribuat ſalutis,
Summa dum reddat meritis ſupernæ
Munera ſortis.
Sit decus laudis tibi ſempiternum,
Qui ſupra cœli reſidens cacumen,
Jugiter trino celebraris unum
Nomine Numen. Amen.

FERIA SECUNDA.

AD MATUTINUM.

Dum te vocante ſurgimus,
Te, Chriſte, ſolum quærimus,
Ut actuum ſis omnium
Et finis & primordium.
Torpore noctis libera
Te lingua primùm concinat;
Et voce pulſans ſidera,
Laudare nunquam deſinat.
Hinc te rogamus ſupplices,
Totos tibi nos vendices,
Et te pudico pectore
Amemus omni tempore.
Hæc te, beata Trinitas,
Junctis precamur vocibus

Ut tota nos æternitas
Jungat beatis cœtibus. Amen.

AD LAUDES.

SPLENDOR Paternæ gloriæ,
Lux lucis, & fons luminis;
Amor ſupernæ curiæ,
Noſtræ decus propaginis.
Hac noctis in caligine,
Nos Patris imple lumine,
Sacróſque funde cœlitus
Sancti calores Spiritûs.
Lætus dies hic tranſeat,
Noſtris nitens virtutibus;
Ardore ſancto ferveat,
Pellat tenebras mentibus.
Præſta, Pater piiſſime,
Fili, Patris ſimillime,
Et tu, beate Spiritus,
Nobis adeſto cœlitus. Amen.

FERIA TERTIA.

AD MATUTINUM.

SUPREMA, Chriſte, claritas
Ipſis micans in noctibus,

Sit noctis hæc obſcuritas
Noſtris amica cantibus.
Emitte lucem cœlitus,
Mentis repellens nubila,
Et quæ maligni ſpiritus
Nobis creant pericula.
Diſſolve culpæ debita,
Quæ nequiter contraximus;
Ne cuncta fiant irrita
Quæ corde vota promimus.
Hæc te, beata Trinitas,
Junctis precamur vocibus;
Ut una nos felicitas
Jungat beatis cœtibus. Amen.

AD LAVDES.

ALES diei nuntius
Lumen propinquans indicat;
Chriſtus futuri præſcius
Nos ad precandum convocat.
Auferte, clamat, lectulos;
En ſponſus; adſint lampades;
Vult hic amantes ſedulos:
Odit ſopore deſides.
Tu, Chriſte, ſomnum diſcute,
Tu pelle mentis nubila;
Et in cor igne cœlite
Accenſa fige ſpicula.

Hæc te, beata Trinitas,
Junctis precamur vocibus,
Ut una nos felicitas
Jungat beatis cœtibus. Amen.

FERIA QUARTA.

AD MATVTINVM.

RERUM Creator optime,
Tu nos benignus exime
Quiete menti noxiâ,
Curâque carnis anxiâ.
En noctis horas rumpimus,
Omnes tibi nos ſiſtimus;
Ut per tuam clementiam
Reis redones gratiam.
Vides malum quod fecimus,
Occulta quæque pandimus;
Remitte nobis crimina,
Quorum gravamur ſarcinâ.
Præſta, Pater piiſſime,
Fili, Patris ſimillime,
Et tu, beate Spiritus,
Nobis adeſto cœlitus. Amen.

AD

AD LAUDES.

NOx atra cedat lumini,
Homóque ſummo Numini:
Lux prima ſolis emicat,
Ad ſe Deus nos advocat.
Te, Chriſte, ſolum novimus,
Unum ſimul te poſcimus;
Ut mens amans perennia,
Mnndana ſpernat omnia.
Sunt multa fucis illita,
Sunt falſa veris indita;
Tu ſumma lux illabere;
Falli nequis, nec fallere.
Præſta, Pater piiſſime,
Fili, Patris ſimillime,
Et tu, beate Spiritus,
Nobis adeſto cœlitus. Amen.

FERIA QUINTA.

AD MATUTINUM.

DUm noctis in ſilentio,
Tranquilla conſtant omnia,

D

Dei premit quos ultio
Decet reos inſomnia.
Ad hoc frequentes adſumus,
Et te, Redemptor, quæſumus,
Ut nos leves piaculis,
Et liberes periculis.
Hoc in ſtatu viventium,
Quo blanda regnant crimina,
Fuga tenebras mentium,
Maliſque tolle tegmina.
Præſta, Pater piiſſime,
Fili, Patris ſimillime,
Et tu, beate Spiritus,
Nobis adeſto cœlitus. Amen.

AD LAUDES.

LUx ecce ſurgit aurea,
Mentis faceſſat cæcitas;
Et corda reddat ignea
Interna lucis claritas.
Quæ præpotenti lumine,
Nos eximens à crimine,
Præſtet dies innoxios,
Et nos malorum neſcios.
Sint caſta ſemper corpora,
Jugi Dei præſentiâ;
Et pura ſervet pectora
Ultrix ſui mens conſcia.

Præſta, Pater piiſſime,
Fili, Patris ſimillime;
Et tu, beate Spiritus,
Nobis adeſto cœlitus. Amen.

FERIA SEXTA.

AD MATVTINVM.

TU Trinitatis unitas,
Noſtræ ſpei ſecuritas,
Audi, precamur, publicum
Hoc excubantûm canticum.
Strato relicto ſurgimus,
Ne torpor obſit noctium;
Primúmque nos te poſcimus,
Ut omne tollas noxium.
Mentem vagantem dirige,
Corpus rebelle corrige,
Ne blanda carnis ſervitus
Frangat vigorem ſpiritûs.
Hæc te, beata Trinitas,
Junctis precamur vocibus;
Ut tota nos æternitas
Jungat beatis cœtibus. Amen.

AD LAVDES.

SUPREMA, Chriſte, gloria,
Beata ſpes mortalium,
Per quem datur victoria,
Et ſtat ſalus fidelium.
Præbe benignus dexteram,
Diémque dona proſperam,
Ut mens amando ferveat,
Et te colendo gaudeat.
Lux ſancta nos illuminet
Noctem repellens ſæculi,
Ne vanitas nos faſcinet
Dolo nocentis angeli.
Præſta, Pater piiſſime,
Fili, Patris ſimillime,
Et tu, beate Spiritus,
Nobis adeſto cœlitus. Amen.

SABBATO.

AD MATVTINVM.

SUMMÆ parens clementiæ,
Amator innocentiæ,

Unus Deus ſubſtantiâ,
Trinúſque ſubſiſtentiâ.
Noſtras tuis cum laudibus
Preces benignus accipe;
Ut corde mundo ſordibus
Te militemus principe.
Adſint fides, ſpes, charitas;
Carniſque dux auſteritas;
Hæc arma ſint perennia;
His ſubjugantur omnia.
Hæc te, beatâ Trinitas,
Junctis precamur vocibus;
Ut una nos felicitas
Jungat beatis cœtibus. Amen.

AD LAUDES.

Aurora naſcens emicat,
Solis reſultat ſpiculum,
Nunc ad preces nos evocat
Lucis novæ diluculum.
Nocturnus horror exulet,
Cœleſtis ardor advolet:
Quod intulit nox criminis,
Ortu recedat luminis.
Ut mens mali non conſcia,
Quæ prava facta fleverit,
Datâ fruatur gratiâ,
Cùm lux ſuprema venerit.

Ut jugis in te charitas
Nos jungat in cœleſtibus. Amen.

AD TERTIAM.

NUNC, ſancte, nobis, Spiritus,
Sacro refulge lumine;
Incende nos medullitus
Tuo repletos numine.
Os laude ſacrâ ferveat,
Sensúſque promat intimos;
Amore pectus ardeat,
Accendat ardor proximos.
Hæc te, beata Trinitas,
Junctis precamur cordibus,
Ut jugis in te charitas
Nos jungat in cæleſtibus. Amen.

AD SEXTAM.

RECTOR ſupreme temporum,
Vices dierum temperans,
Statôque curſu ſiderum
Lucem calore roborans.
Extingue litis jurgia;
Turpéſque flammas pectoris;
Mentis fuga contagia,
Dona ſalutem corporis.

Hæc te, beata Trinitas,
Junctis precamur cordibus;
Ut jugis in te charitas
Nos jungat in cœleſtibus. Amen.

AD NONAM.

TU, qui diurna tempora,
Solus moveri neſciens,
Moves potenti dexterâ;
Horis vices definiens.
Largire lumen veſpere,
Quo nil ſibi mens conſcia,
Carnis relicto carcere,
Cœli petat palatia.
Hæc te, beata Trinitas,
Junctis precamur cordibus;
Ut jugis in te charitas
Nos jungat in cœleſtibus. Amen.

DIE DOMINICA.

AD VESPERAS.

LUCIS creator optime,
Cunctis refulgens intimè,

Qui diſſipans caliginem,
Rebus ſuum das ordinem.
Qui mane jungens veſperi,
Noctem diurno ſideri,
Dies facis cum noctibus,
Da juge lumen cordibus.
Ne mens ſit aſtu dæmonis,
Cæleſtis exors luminis,
Dum ſe caducis inficit,
Culpíſque culpas adjicit.
Sit pro ſalute mentium,
Unum, ſalus, negotium;
Amor ſit unus Numinis,
Sit unus horror criminis.
Omnis Deo ſit gloria,
Qui trinus, unus omnia
Miro creavit ordine,
Summoque ſervat numine. Amen.

FERIA SECUNDA.

IMMENSE factor ætheris,
Qui lege certâ fœderis,
Aquas ſupernas finibus
Sejungis à terreſtribus.
Fac pro tua clementia,
Non excidamus gratiâ;
Ne quod novum piaculum
Majus creet periculum.

Menti fides affulgeat,
Ignéſque ſacros augeat:
Hanc nulla ludat vanitas,
Hanc firmet omnis veritas.
Omnis Deo ſit gloria,
Qui trinus, unus omnia
Miro creavit ordine,
Summóque ſervat numine. Amen.

FERIA TERTIA.

QUI das aquarum gurgites,
Maríque ponis limites,
Terram locans immobilem,
Omníque fructu fertilem.
Tu cordis hoc de marmore,
Gravíque mentis frigore
Duc lacrymarum flumina
Ad eluendum crimina.
Hoc lota mens in æquore,
Niteſcat omni tempore;
Nullis adhærens ſordibus,
Cunctis ſtudens virtutibus.
Omnis Deo ſit gloria,
Qui trinus, unus omnia
Miro creavit ordine
Summóque ſervat numine. Amen.

FERIA QUARTA.

HÆc eſt dies, quâ condita
Solis refulget orbita,
Cœlóque ſplendet additus
Lucis micans exercitus.
Solis præit lux omnibus,
It luna præ minoribus :
Ut ſol diei præſidet,
Sic luna noctem poſſidet.
Hoc duplici pro lumine
Chriſtus micet cum Virgine ;
Non eſt in hoc defectio,
Non eſt in hac mutatio.
Omnis Deo ſit gloria,
Qui trinus, unus omnia
Miro creavit ordine,
Summóque ſervat numine. Amen.

FERIA QUINTA.

Magnæ Deus potentiæ,
Summæ pater clementiæ,
Qui providente dexterâ
Ubique ſpargis munera.
Dudum creatis fructibus,
Addis cibos ex carnibus,

Piſces, aves, ex æquore
Formans eodem tempore.
Hæc tanta nos benignìtas,
Summíque Patris largitas,
Semper Deum det quærere,
Uníque det confidere.
Omnis Deo ſit gloria,
Qui trinus, unus omnia
Miro creavit ordine,
Summóque ſervat numine. Amen.

FERIA SEXTA.

TANDEM peractis omnibus,
Cum cæteris viventibus
Homo creatur, omnium
Rex & caput viventium.
Hoc in novo molimine
Fit mundus alter nomine;
Primus ſecundo clauditur,
Major minori ſubditur.
Ex hac Dei propagine,
Hac nobiles imagine,
Totis decet nos viribus
Deum referre moribus.
Omnis Deo ſit gloria,
Qui trinus, unus omnia

Miro creavit ordine,
Summóque ſervat numine. Amen.

SABBATO.

O Lux beata Trinitas,
Duc nos boni per ſemitas,
Dum noctis in caligine,
Solis caremus lumine.
Te mane laudum munere,
Te deprecamur veſpere,
Ut te, tui nos compotes
Laudemus inter Cœlites.
Præſta, Pater piiſſime,
Fili, Patris ſimillime;
Et tu, beate Spiritus,
Nobis adeſto cœlitus. Amen.

AD COMPLETORIUM.

TE, lucis ante terminum,
Cuſtos ſupreme, poſcimus,
Nox abſit atra criminum,
Sit vera lux quam quærimus;
Non vana turbent ſomnia
Noſtræ quietis tempora;

Sint ſancta nobis omnia,
Ne polluantur corpora.
Hæc te, beata Trinitas,
Junctis precamur cordibus;
Ut una nos felicitas
Jungat beatis cœtibus. Amen.

HYMNI PROPRII DE SANCTIS.

IN FESTIS BEATÆ MARIÆ.

AD VESPERAS.

AVE maris ſtella,
Summi regis aula,
Digna Dei mater,
Manens virgo ſemper.
Sumens illud Ave,
Pignus ſortis novæ,
Imple pacis omen,
Mutans Evæ nomen.

Solve culpæ vincla,
Longè fac pericla,
Mala procul arce,
Bona cuncta poſce.
Eſto nobis mater,
Quibus Chriſtus frater,
Pro nobis dignatus
Tuus eſſe natus.
Virgo ſingularis,
Dulcis fons amoris,
Nos culpis ſolutos,
Mites fac, & caſtos.
Vitam præſta puram,
Gere noſtri curam;
Cœlo fac donemur,
Tecum fac lætemur.
Patri ſit, & Nato,
Cum Spiritu ſancto,
Unum laudis munus,
Tribus honor unus. Amen.

AD MATVTINVM.

QUEM terra fundo divite,
Quem pontus alto gurgite,
Quem celſa laudant ſidera,
Geſtant Mariæ viſcera.
Cui luna, ſol, & omnia
Statuta pendunt munia,

Captivus, expers luminis,
Portatur alvo virginis.
Beata cujus munere,
Se clauſit alvi carcere,
Qui cuncta ſolus ſuſtinet,
Unúſque cuncta continet.
Beata cœli nuntio,
Felix Dei conſortio,
Quâ natus infans, gentibus
Deſideratus omnibus.
Tibi, Patri, cum Flamine,
Qui natus es de Virgine,
Sit per Mariam gloria,
Jugíſque laus in patria. Amen.

AD LAUDES.

O GLORIOSA virginum,
Mater parentis luminum,
Hunc, qui tibi dat vivere;
Lactante nutris ubere.
Quod Eva peccans perdidit,
Inſons Maria reddidit,
Enixa ſacro germine
Natum ſupremo Numine.
Gentes redemptæ plaudite,
Grates Mariæ reddite,
Per quam remiſſa crimina,
Recluſa cæli limina.

Tibi, Deus de Numine,
Qui natus es de Virgine,
Tibi, beata Trinitas,
Laudum perennis unitas. Amen.

IN OFFICIO PARVO BEATÆ MARIÆ.

AD OMNES HORAS,

Hymnus.

MEMENTO mundi conditor,
Æterne rerum cognitor,
Quòd natus alvo Virginis,
Nobis redemptor ſubvenis.
Maria, mater gratiæ,
Dulcis parens clementiæ,
Ab hoſte tu nos eripe,
Et mortis horâ ſuſcipe.
Jesu, Mariæ Filio,
Cœleſtis horti lilío,
Sit per Mariam gloria,
Jugíſque laus in patria. Amen.

DE SANCTO MICHAELE.

AD VESPERAS & Matutinum.

TE, Chriſte, proles virginis,
Splendor Paterni luminis,
Laudamus inter Cœlites
Arcis beatæ milites.
Hi millium per millia
Cœli replent ſubſellia;
Armis micant cœleſtibus,
Tuíſque pendent nutibus.
Sed inter omnes ſpiritus,
Dux Michaël exercitûs,
Signum triumphans explicat,
Victórque cunctis emicat.
Hic forte ducens prælium,
Contra ducem rebellium,
Ad inferorum limina
Perjura trudit agmina.
Tu, Michaël, nos accipe;
Te militemus principe;
Juncti tuis cohortibus
Regnemus in cœleſtibus.

Patri ſupremo Numini,
Nato, ſacróque Flamini,
Pro Cœlitum victoria
Sit ſempiterna gloria. Amen.

AD LAVDES.

CHRISTE, ſanctorum decus Angelorum,
Gentis humanæ ſator, & redemptor,
Nos gregi quondam ſocies tuorum,
Optime paſtor.
Qui prior cunctis Michaël refulget,
Præſidens ſacris ſuper aſtra turmis,
Adſit, & bello loca cuncta purget
Inclytus armis.
Gabriel ſanctas reſidens ad aras
Numinis promptus celebrare laudes,
Quas Deo, mundi ſtatuit per oras
Protegat ædes.
Dulcis humanæ medicus ſalutis
Raphaël ægros juvet invocatus,
Et vias vitæ, dubiæque mentis
Dirigat actus.
Túque, cum ſanctæ ducibus Sionis
Nos juves, Chriſti Genitrix beata,
Dum ſuis certant pia noſtra donis
Vincere vota.

Sit Deo ſoli decus æviternum,
Qui ſupra cœli reſidens cacumen,
Jugiter trino celebratur unum
Nomine Numen. Amen.

DE SANCTIS
ANGELIS CUSTODIBUS:
AD VESPERAS & Matutinum.

CUSTODES hominum pſallimus Angelos,
Tutelæ ſtudio perpete ſedulos,
Quos, ſupreme Parens, objicis hoſtibus
Nobis inſidiantibus,
Nam dejecta polo turba rebellium,
In nos juge movens invida prælium,
E cœli pariter nititur omnibus
Nos excludere ſedibus.
Huc, Cuſtos, igitur pervigil advola,
Avertens ſcelerum cuncta pericula,
Et morbos animi, damnáque corporum,
Et diſcrimina temporum.

Summo ſumma Patri gloria jugiter,
Laus & , Nate, tibi ſumma perenniter,
Communíſque ſimul ſit tibi, Spiritus,
Laus & gloria cœlitus. Amen.

AD LAUDES.

O Qui, quod orbe naſcitur,
Magnâ creas potentiâ;
Nec ſuſtines quod labitur
Minore providentiâ!
Præbe tuam petentibus
Per Angelos clementiam,
Reíſque confitentibus
Dona benignus gratiam.
Hîc noſter adſit Angelus
Suâ favens præſentiâ:
Dæmon faceſſat æmulus
Priſcâ potens aſtutiâ.
Metum repellat hoſtium
Noſtris procul de finibus,
Salutis ut negotium
Totis agamus viribus.
Nati redemptos ſanguine
Summus Parens exaudiat,
Unctóſque ſancto Flamine
Per Angelos cuſtodiat. Amen.

DE SANCTO JOSEPH.

AD VESPERAS.

TE concors ſuperum curia laudibus,
Te tellus meritis ornet honoribus,
O Joſephe, tui nominis omine
Dignus conjuge virgine.
Hanc tu cùm gravidam ſuſpicis anxius,
Divinè geniti germinis inſcius,
Quòd ſint fœta ſacro viſcera pignore
Lætus diſcis ab æthere.
Tu natum teneris excipis oſculis,
Hujus tu gerulus, tu comes exulis,
Amiſſúmque doles, ſed citò repperis:
Sic cedunt mala proſperis.
Juſtis poſt obitum gloria panditur,
Vivo ſponte tibi tota profunditur
Cui fit conſpicuum Numen in ædibus:
Tantò major es omnibus!
Audi, ſumma Trias, vota precantium
Joſephi meritis aſtra petentium:
Illi jugis honos; & tibi gloria
Ævi ſæcla per omnia. Amen.

AD MATUTINUM.

O Decus cæli, columenque mundi,
Numinis celſos meritus favores!
Quos tibi, Joſeph, iteramus, audi
Laudis honores.

Sponſa ſit conſors tibi virgo mater,
Filius ſummi tuus eſt parentis,
Dignus & noſtræ ſapiens miniſter
Eſſe ſalutis.

Tu prior Jeſum ſtabulo jacentem
Excipis, juſto redamans amore,
Téque divino puer oſculantem
Baſiat ore.

Ima cui parent ſimul & ſuperna,
Qui præeſt mundo dominator omni,
Lege, quam ſanxit, tibi ſit paternâ
Subditus uni.

Da, Trias cœli, Deitas beata,
Adſit ut noſtros trias hæc in uſus,
Cum ſuo Joſeph, pariterque ſanctâ
Virgine Jeſus. Amen.

AD

AD LAVDES.

Quem colit noſter, celebrátque cœtus,
Hac die Chriſti moriens in ulnis,
Occidit, vitæ meritis onuſtus,
Plenus & annis.

Fauſta ſors mortis! requies beata!
Quam tibi, Joſeph, benefacta reddunt:
Cui ſimul Jesus, genitríxque ſancta
Lumina claudunt.

Interim vinclis animus ſolutis,
Carne jam liber, laqueíſque mundi,
Hinc migrans, patrum meruit beatis
Cœtibus addi.

Nunc fruens ævo ſuperûm perenni,
Fac, viæ curſu, duce te, peracto,
Jugiter tecum mereamur uni
Vivere Chriſto.

Da, Trias cæli, Deitas beata,
Adſit ut noſtros trias hæc in uſus,
Cum ſuo Joſeph, paritérque ſanctâ
Virgine Jesus. Amen.

IN NATIVITATE
S. JOANNIS BAPTISTÆ.
AD VESPERAS.

SERA ſanctorum ſoboles Parentum,
Cujus it terras pia laus per omnes,
Da tuum dignè celebremus ortum,
Sancte Joannes.

Nuntius ſedis Gabriel beatæ,
Multa jam de te memoranda pandit;
Nomen & munus, ſeriémque vitæ
Ordine prodit.

His parens anceps dubiúſque dictis,
Ore ſe mutum ſtupuit ſilenti;
Sed tui vocem genitus parentis
Reſtituiſti.

Matris exultas recubans in alvo,
Cùm Dei vocem genitricis audis;
Virgini matri, ſaliente parvo
Corpore, plaudis.

Sit decus laudis tibi ſempiternum;
Qui ſupra cæli reſidens cacumen,
Jugiter trino celebraris unum
Nomine Numen. Amen.

AD MATUTINUM.

TU puer noxæ mala cautus arces,
Eligens ſedem ſociis remotam,
Ne levis verbi maculare poſſes
Crimine vitam.
Pro tuâ, pellis fuit una, veſte,
Horridum villis tribuens amictum;
Dant cibum viles tenuem locuſtæ,
Flumina potum.
Turba venturum cecinere vatum,
Qui ſacris mundum renovaret undis,
Hunc ab intacta genitrice natum
Indice prodis.
Si nefas Chriſtum reprobare teſtem,
Major eſt nemo genitus Joanne,
Qui Deum, mundi ſcelus abluentem,
Abluit amne.
Sit decus laudis tibi ſempiternum,
Qui ſupra cæli reſidens cacumen,
Jugiter trino celebraris unum
Nomine Numen. Amen.

AD LAUDES.

O Nimis felix, meritíque ſummi,
Criminum terror, typus innocentum,

Ipſa vox Chriſti, ſacra laus eremi,
Maxime vatum.
Multiplex Sanctos redimit corona,
Multa quam virtus pietáſque donant;
Te ſimul, Chriſto decorante, dona
Cuncta coronant.
Qui viam primus Domino paraſti,
Gratiæ cunctos obices revelle;
Quæ cor offendunt, oculóſque Chriſti,
Omnia pelle.
Ut poli ſummis veniens ab oris,
Ferre terreſtres ſuper aſtra ſenſus,
Mentibus poſſit ſine labe puris
Figere greſſus.
Sit decus laudis tibi ſempiternum,
Qui ſupra cæli reſidens cacumen,
Jugiter trino celebraris unum
Nomine Numen. Amen.

Digitized by Google

IN FESTO
SS. APOSTOLORUM
PERTI ET PAULI.

AD VESPERAS.

O SEMPITERNA lucis almæ claritas !
O ! quæ coronis ornat immortalibus
Apoſtolorum Principes feſtivitas,
Cœlique primis dat ſedere ſedibus !
Mundi magiſtri, celſa cæli gloria,
Romæ parentes, arbitrique gentium,
Hic enſis, ille de crucis victoria
Augent triumphos perpetes Cæleſtium.
Utroque gaude', Roma, felix præſide :
Horum beato conſecrata ſanguine,
Pulſaque cultûs impii tyrannide,
Sanctæ refulges civitatis nomine.
Sit Trinitati ſempiterna gloria,
Per quam ſubactis dæmonum cultoribus,

Jam, Roma, Chriſti das ſacris al-
taria,
Datura legem Chriſtianis omnibus.
Amen.

AD LAVDES.

BEATE Paſtor Petre, noſtri pro-
vide,
Tu noſtra verbo ſolve clemens crimina,
Cui ſit poteſtas, dante Chriſto præ-
ſide,
Superna claudi, vel recludi limina.

QUI, magne doctor Paule, cœlum
poſſides,
Attolle tecum carne mentes obrutas,
Dum cæca claro viſui cedat fides,
Et Solis inſtar ſola regnet charitas.
Sit Trinitati ſempiterna gloria,
Per quam ſubactis dæmonum culto-
ribus,
Jam, Roma, Chriſti das ſacris al-
taria,
Datura legem Chriſtianis omnibus.
Amen.

IN FESTO

S. PETRI AD VINCULA.

AD VESPERAS.

PEtrus repentè liberatus vinculis,
Suos reviſit, ſingulis mirantibus.
Nunc uſque liber & procul periculis,
Ovile ſervat paſcuis cæleſtibus.
Deo Parenti laus omne per ſæculum;
Tibique, Chriſte, ſoſpitator omnium:
Tibi, Parentis Filiique vinculum,
Detur perennis gloriæ præconium.
Amen.

AD MATUTINUM.

QUidquid ligaris, ſolveríſve nexibus
Summo manebit conſtitutum vindici,
Illíque, cunctis congregatis gentibus,
Tu, Petre, judex aſſidebis judici.

Deo Parenti laus omne per ſæculum,
Tibíque, Chriſte, ſoſpitator omnium.
Tibi, Parentis Filiique vinculum,
Detur perennis gloriæ præconium.
Amen.

AD LAVDES.

BEATE paſtor Petre, noſtri provide,
Tu noſtra verbo ſolve clemens crimina,
Cui ſit poteſtas, dante Chriſto præſide,
Superna claudi, vel recludi limina.
Deo Parenti laus omne per ſæculum:
Tibíque, Chriſte, ſoſpitator omnium:
Tibi, Parentis Filiique vinculum,
Detur perennis gloriæ præconium.
Amen.

In festis
Cathedræ S. Petri.

Ad Vesperas, & Matutinum.

Quidquid ligaris, ſolveríſve nexibus
Summo manebit conſtitutum vindici,
Illíque, cunctis congregatis gentibus,
Tu, Petre, judex aſſidebis judici.
Deo Parenti laus omne per ſæculum,
Tibíque, Chriſte, ſoſpitator omnium:
Tibi, Parentis Filiique vinculum,
Detur perennis gloriæ præconium.
Amen.

Ad Laudes.

Beate paſtor Petre, noſtri provide,
Tu noſtra verbo ſolve clemens crimina,

Cui ſit poteſtas, dante Chriſto præſide,
Superna claudi, vel recludi limina.
Deo Parenti laus omne per ſæculum,
Tibíque, Chriſte, ſoſpitator omnium:
Tibi, Parentis Filiique vinculum,
Detur perennis gloriæ præconium. Amen.

IN COMMEMORATIONE
SANCTI PAULI
ET
IN CONVERSIONE.
AD VESPERAS,
& Matutinum.

QUI, magne doctor Paule, cœlum poſſides,
Attolle tecum carne mentes obrutas,
Dum cæca claro viſui cedat fides,
Et ſolis inſtar ſola regnet charitas.

Deo Parenti laus omne per ſæculum,
Tibique, Chriſte, ſoſpitator omnium:
Tibi, Parentis Filiique vinculum,
Detur perennis gloriæ præconium.
Amen.

DE S. HERMENEGILDO.

AD VESPERAS, & Laudes.

O Laus Heſperiæ! lux nova ſiderum,
Hermengilde, decus nobile Martyrum,
Magnus, magnanimi nomine principis,
Major nomine martyris.
Hæc eſt una tibi, ſummáque dignitas,
Omni fraude carens, labéque ſanctitas;
Eſt hæc vita tibi, vivere Numini,
Non ſervire cupidini.

Hos ſenſus adimit nulla neceſſitas,
Excelſi generis nulla propinquitas:
Sed præfers ſapiens firma fugacibus,
Nil terreſtre, perennibus.
O, qui Martyribus grandia præparas,
Da res, ſancta Trias, ſpernere proſperas,
Ut per martyrium nobile ſpiritûs
Nobis des bona cælitus. Amen.

AD MATVTINVM.

TE Divina ſuis gratia dotibus,
Æternis ſuperûm ſervat honoribus;
Sed te pugna manet, palmáque nobilis,
Chriſti Martyr amabilis.
Nec tu debilibus traderis hoſtibus:
Cum duris tibi res tota parentibus;
Tandem cæſa cadis poſt mala plurima
Chriſti nomine victima.
Tu, nos è ſuperis protege ſedibus,
Adjunctíſque preces accipe laudibus,
Regalem decorans ſanguine gloriam,
Illuſtri nece patriam.
O, qui Martyribus, &c.

DE

DE SANCTO VENANTIO.

AD VESPERAS.

MARTYR Dei Venantius,
Chriſtum negare neſcius,
Partâ puer victoriâ,
Jugi triumphat gloriâ.
Hac innocens ætatulâ,
Poſt carceres, poſt vincula,
Longâ fame frementibus
Cibus datur leonibus.
Sed belluarum duritas
Fit innocenti lenitas;
Parcunt tenellis artubus,
Pronis cadunt cervicibus.
Caput deorſum vertitur,
Haurire fumum cogitur:
Coſtis aduſtis, viſcera
Manu cremantur barbarâ.
Patri ſupremo Numini,
Nato, ſacróque Flamini,
Pro martyris victoria
Sit ſempiterna gloria. Amen.

AD MATVTINVM.

ATHLETA Chriſti nobilis
Spernens furores hoſtium,
Idola ridet Gentium,
Nil territus periculis.
E rupe præceps pellitur,
Loris revinctus aſperis:
Franguntur artus corporis,
Totus ruens diſcerpitur.
Volunt periſſe funditus;
Hos optat ipſe ſoſpites;
Preſſos ſiti ſatellites
Potu levat divinitus.
Miles, Puer, fortiſſime!
Tantæ memor clementiæ,
Cœleſtis undâ gratiæ
Perfunde nos largiſſimè.
Laus & perennis gloria
Patri ſupremo Numini,
Nato, ſacróque Flamini,
Pro martyris victoria. Amen.

AD LAVDES.

DUM nocte pulsâ gratiùs
Orbi dies renaſcitur,

Nobis adeſt Venantius :
Hic hymnus illi pangitur.
Chriſti ſacro qui nomine
Erroris artes diruit,
Suóſque cives lumine
Divinitatis imbuit.
Aquis ſacri baptiſmatis
Luſtravit ipſos milites,
Chriſtíque cultos dogmatis
Ad aſtra miſit martyres.
Nunc, Tu, beatis dotibus
Fusóque clarus ſanguine,
Da te piè rogantibus
Tuo frui munimine.
Deo Patri ſit gloria,
Nato ſimul cum Flamine,
Pro martyris victoria,
In Trinitatis numine. Amen.

DE

S. MARIA MAGDALENA.

AD VESPERAS.

DEI potens benignitas,
Cùm Magdalenam reſpicis,

Flammas amoris excitas,
Gelúque cordis ejicis.
Amore currit ſaucia
Chriſti pedes inungere,
Piáque cum licentia
Comis & ore tergere.
Adſtare non timet cruci,
Hæret ſepulcro ſedula;
Non milites vultu truci,
Non hanc movent pericula.
O cuncta vincens charitas,
Tu noſtra purga crimina,
Duc gratiæ per ſemitas
Ad ſacra cœli limina.
Jesu, tibi ſit gloria,
Patri ſimul cum Spiritu,
Amantium ſuſpiria
Læto coronans exitu. Amen.

AD MATVTINVM.

PEDES Iëſu Magdalis
Caſtis adorat oſculis,
Fletu rigat, tergit comâ,
Nardo perungit optimâ.
Patri ſupremo Numini,
Nato, ſacróque Flamini,
In Cœlitum ſit curia
Laudum perennis gloria. Amen.

AD LAUDES.

SUMMI Parentis unice,
Vultu pio nos reſpice,
Dum pro ſalute Magdalæ
Cœli triumphant incolæ.
Amiſſa drachma reddit
Tuto loco reconditur;
Et gemma munda ſordibı
Regnis micat cœleſtibus.
JESU, medela mentiur
Spes una pœnitentium,
Da Magdalenæ fletibus,
Noxis lavemur omnibus.
Virgo parens clementiæ,
Fons jugis indulgentiæ,
Merſos malorum fluctibus
Infer beatis ſedibus.
Uni Deo ſit gloria,
Pro gratiæ victoria,
Parcendo delinquentibus,
Favendo pœnitentibus. Amen.

DE
SANCTA MARTINA.

AD VESPERAS.

MARTINÆ celebri plaudite nomini,
Veſtro, Romulidæ, plaudite ſanguini;
Inſignem meritis dicite virginem,
Chriſti dicite martyrem.
Hæc priſcâ procerum nata propagine,
Claro mille procûm nobilis agmine,
Vitæ deliciis affluit omnibus
Mundi nata favoribus.
At dum virgineæ dotis amantior,
Vult nupſiſſe Deo ſponſa beatior,
Chriſti pauperibus dans ſemel omnia,
Quærit regna perennia.
O, qui Martyribus grandia præparas,
Da res, ſancta Trias, ſpernere proſperas,
Ut per martyrium nobile Spiritûs
Nobis des bona cœlitus. Amen.

AD MATVTINVM.

Iam matura polo, quò via panditur,
Virgo multiplici funere cæditur:
Aſt illam recreant protinus Angeli
Cœleſtis dape ferculi.
Quin, tu nec mediis ureris ignibus,
Nec, projecta feris, tangeris unguibus:
Sed qui te gladius vulnere ſuſtulit,
Cœli ſedibus intulit.
Nunc ſacris redolens ara vaporibus,
Offert vota, tuis nixa favoribus,
Et ſignata tuo ſors mala nomine
Fauſto vertitur omine.
O, qui Martyribus grandia præparas,
Da res, ſancta Trias, ſpernere proſperas,
Ut per martyrium nobile Spiritûs
Nobis des bona cœlitus. Amen.

AD LAVDES.

O Martina, tuos ſedula protege,
Ad pacis requiem tempora dirige;

Solis Chriſtiadum cum crucis hoſtibus
Sint nunc prælia gentibus.
Tum ſacro ſocians agmina fœdere,
Injuſtis Solymas nexibus exere;
Dele ſacrilegam cæde propaginem,
Mulctans ſanguine ſanguinem.
Tu noſtrum columen, noſtráque gloria,
Crebras cara preces fert tibi patria:
Ut Te Roma parens gaudeat auſpice,
Hanc ne, filia, deſpice.
O, qui Martyribus grandia præparas,
Da res, ſancta Trias, ſpernere proſperas,
Ut per martyrium nobile ſpiritûs
Nobis des bona cælitus. Amen.

DE
SANCTA TERESIA.

AD VESPERAS, & Laudes.

TERESA Chriſti nuntia,
Domum paternam deſeris;

Salus futura barbaris,
Vel charitatis hoſtia.
Sed dulciori funere
Amoris icta ſpiculo,
Fruens amantis oſculo
Cades beato vulnere.
O grata Chriſto victima,
Nos expiatis mentibus,
Mundíſque labe cordibus
Amoris igne concrema.
Sit laus Parenti luminum,
Natóque proli virginis,
In unitate Flaminis
Sponſi ſacrarum virginum. Amen.

AD MATVTINVM.

VOx ecce clamat cœlitus,
Sponſam vocans ad nuptias;
Hanc ſancta poſtulat Trias;
Hic eſt amantis exitus.
Hujus repente ſpiritus,
Cœleſtis inſtar alitis
Vitæ vias it perpetis.
Felix Tereſæ tranſitus!
Sit laus Parenti luminum,
Natóque proli virginis,
In unitate Flaminis
Sponſi ſacrarum virginum. Amen.

IN FESTO

OMNIUM SANCTORUM.

AD VESPERAS & Matutinum.

JEsu, redemptor omnium,
Vitæ beatæ præmium,
Vultu pio nos aſpice,
Tuâ parente ſupplice.
Vos qui novem per ordines
Cœli tenetis cardines,
Delicta vitæ tollite,
Mortis pericla pellite.
Apoſtoli cum Vatibus
Favete pœnitentibus,
Ut ſuſcitet clementia
Quos perdidit licentia.
O purpurati Martyres,
Jam laureati milites,
Chriſti redemptos ſanguine
Juvate Chriſti nomine.
O quos beat confeſſio,
Votiva quos profeſſio,

Et quos eremi ſanctitas,
Nos veſtra ſalvet charitas.
Vos caſtitatis agmina,
Fœcunda cœli germina,
Carnis ſolutos nexibus
Locate ſanctis ſedibus.
Arcete gentes impias,
Oves vocate devias;
Sit paſtor unus omnium,
Unúſque grex fidelium.
Præſta, beata Trinitas,
Nos ſanctitatis ſemitas,
Pulſis ſalutis hoſtibus,
Tutis tenere greſſibus. Amen.

AD LAUDES.

LUx, & ſalus mortalium,
Jesu, redemptis ſubveni,
Virgo parens fidelium,
Benigna votis adveni.
Dei miniſtri Spiritus,
Vatum chorus, cœtus Patrum,
Placate nobis cœlitus
Totius orbis arbitrum.
Baptiſta Chriſti nuntius,
Mundi duces Apoſtoli,
Petrus Dei vicarius,
Noxas repellant ſæculi.

Cohors triumphans Martyrum,
Myſtæ, ſacríque Præſules,
Corona caſta Virginum,
Cœlo reducant exules.
Quicunque ſummâ ſiderum
Regnatis aulâ principes,
Iter parate proſperum
Noſtræ ſalutis præſtites.
Sit ſumma Patri gloria,
Nato, ſimul cum Spiritu;
Et nos frui dent Patriâ
Fauſto ſalutis exitu. Amen.



HYMNI

Digitized by Google

HYMNI COMMUNES DE SANCTIS.

COMMUNE APOSTOLORUM.

AD VESPERAS, & Laudes.

Exultet orbis gaudiis,
Cœli reſultet curia:
Totis ſonet præcordiis
Apoſtolorum gloria.
Vos vera mundi lumina,
Legum ſacrarum vindices,
Arcete mundo crimina,
Noſtri futuri judices.
Qui templa cœli clauditis,
Ne nos eis excludite;

Qui clauſa verbo panditis,
Nobis amica pandite.
Qui ſanitatis munera
Ægris datis mortalibus,
Sanate mentis vulnera:
Ornate nos virtutibus.
Ut cùm redibit arbiter
In fine Chriſtus ſæculi,
Vobis patronis jugiter
Ejus triumphent ſervuli.
Præſta, beata Trinitas,
Ut cum tuis Apoſtolis
Nos una jungat charitas
Cunctis beatos ſæculis. Amen.

AD MATVTINVM.

MIRABILEM victoriam,
Dei ſubactis hoſtibus,
Apoſtolorum gloriam
Lætis canamus mentibus.
Salvete, cœli præſides,
Eccleſiæ fundamina,
Noſtræ ſalutis obſides,
Divina verbi fulmina.
Stat firma per vos veritas,
Rerúmque ſpes perennium,
Perfecta per vos charitas
Fidem coronat omnium.

Per vos Patris divinitas,
Chriſtíque regnant dogmata;
Per vos refloret ſanctitas,
Et Spiritûs chariſmata.
Præſta, beata Trinitas,
Ut cum tuis Apoſtolis
Nos ſancta jungat charitas
Cunctis beatos ſæculis. Amen.

COMMUNE APOSTOLORUM

TEMPORE PASCHALI.

AD VESPERAS,

& Matutinum.

TRISTES erant Apoſtoli,
Chriſti ſepulto corpore,
Quem parricidæ ſervuli
Multo necarant vulnere.
Sed Angelis hortantibus,
Piæ monebant fœminæ
Brevi ſuis hunc fratribus
Novo videndum lumine.
Quæ dum citatis greſſibus
Urgente currunt nuntio,

Priùs merentur omnibus
JESU frui conſortio.
Ad nota montis culmina
Se conferunt Apoſtoli,
Ubi ſtupent ad lumina
Amabilis ſpectaculi.
Ut ſis perenne mentibus
Paſchale, JESU, gaudium,
Da Chriſtianis omnibus
Jugem nitorem cordium.
Deo Patri cum Spiritu,
Chriſtóque laus in æthere,
Qui glorioſo tranſitu
Victo triumphat funere. Amen.

AD LAUDES.

QUEM Sol reviſit lætior,
Quem nuntiarunt Angeli,
JESUS revixit pulcrior;
Illum vident Apoſtoli.
In carne ſpectant vulnera,
Quæ ſolis inſtar emicant,
Teſtéſque voce liberâ
Jam ſuſcitatum prædicant.
Tu carnis à tyrannide
Cor, Chriſte, noſtrum libera,
Unúſque totum poſſide
Tuâ ſubactum dexterâ.

Ut ſis perenne mentibus
Paſchale, JESU, gaudium,
Da Chriſtianis omnibus
Jugem nitorem cordium.
Deo Patri cum Spiritu,
Chriſtóque laus in æthere,
Qui glorioſo tranſitu
Victo triumphat funere. Amen.

COMMUNE UNIUS MARTYRIS.

AD VESPERAS, & Matutinum.

DEus, corona Cœlitum,
Merces tuorum militum,
In hoc triumpho martyris,
Effunde gazas ætheris.
Hic nempe forti pectore,
Auctúſque ſancto robore
Mundana ſprevit pabula,
Inferna fregit ſpicula.
Pœnas adivit fortiter,
Et ſuſtulit viriliter,

Pugnans tuo pro nomine,
Fuſo triumphat ſanguine.
Per nomen hujus martyris
Da, nos pati quod juſſeris,
Solvi malis quæ fecimus;
Bonum ſequi quod novimus.
Patri ſupremo Numini,
Nato, ſacróque Flamini,
Pro martyris victoria
Sit ſempiterna gloria. Amen.

AD LAUDES.

MARTYR Dei fortiſſime,
Chriſti ſequens veſtigia,
Ipſi recumbis proximè
Cœli ſuper faſtigia.
Tu, quâ potens es gratiâ,
Fuſi favore ſanguinis,
Affer malis ſolatia,
Dono ſupremi Numinis.
Qui carnis abſque pondere,
Beata ducis otia,
Fac nos, ſubacto corpore,
Audere tecum fortia.
Deo Patri ſit gloria,
Nato ſimul cum Flamine,
Pro martyris victoria
In Trinitatis nomine. Amen.

PRO

PLURIBUS MARTYRIBUS.

AD VESPERAS.

SANCTORUM canimus prælia Martyrum;
Applaudant populi, templáque ſiderum:
Quos virtus meritis ornat honoribus,
Vos extollite laudibus.
Hi ſunt quos fatuè mundus abhorruit,
Quos vis nulla minis, aut nece terruit;
Nam perferre cruces, & mala corporum,
Hæc eſt gloria Martyrum.
Paſſi ſunt furias, ſæváque verbera,
Enſes atque rotas, horrida vulnera:
Hæc, infirma licet, dum caro ſuſtinet,
Mens interrita permanet.

Non murmur reſonat, non querimonia;
Stat virtus patiens; deſpicit omnia,
Pro Chriſto proprii prodiga ſanguinis,
Summi victima Numinis.
Quæ vox, quæ poterit lingua retexere,
Quæ tu Martyribus reddis in æthere?
His fuſo rutilat ſanguine purpura,
Ardent lumine tempora.
Tu, ſimplex Deitas, unáque Trinitas,
Fac nos juſtitiæ quærere ſemitas,
Quos per martyrium nobile Spiritûs
Conſervas tibi cœlitus. Amen.

AD MATVTINVM.

DIGNAM triumphi gloriam,
Poſt Martyrum victoriam,
Lætis canamus vocibus,
Dignis colamus laudibus.
Victis mali terroribus,
Et barbaris tortoribus,
Mortis ſacræ compendio
Jugi fruuntur gaudio.
Lentis cremantur ignibus;
Cadunt ferarum dentibus:

Ad innocentûm funera
Armatur omnis dextera.
Tu nos, Redemptor, aſpice,
Omnéſque dignos effice
Mundi ſimul divortio,
Et Martyrum conſortio. Amen.

AD LAUDES.

REx glorioſe Martyrum
Largitor alme munerum,
Qui regna das cœleſtia
Sordent quibus terreſtria.
Piis tuorum vocibus
Adſis benignis auribus,
Da Martyrum per funera
Cœli mereri munera.
Tu, Martyrum conſtantia,
Tu, Confitentûm gratía,
Parcendo dele crimina,
Extingue noxæ ſemina.
Patri, ſupremo Numini,
Nato, ſacróque Flamini,
Pro Martyrum victoria
Sit ſempiterna gloria. Amen.

COMMUNE CONFESSORUM PONTIFICUM.

AD VESPERAS, & Matutinum.

PONTIFEX cleri, populíque norma,
Pervigil Paſtor gregis in ſalutem,
Cui tegit ſacrâ radiata flammâ
Infula frontem.
Qui choris junctus ſuperûm beatis,
Nos viam tecum cupis ire rectam;
De tuis noſtram bonus uſque factis
Inſtrue vitam.
Tu juvas dextrâ miſeros potenti;
Nam Deus per te ſimul ac vocatur,
Qui diu morbis jacuere fracti
Reſtituuntur.
Hinc tibi juſtum referens honorem
Et ſacri cultus ſtudium perenne,

Hæc tuum ſperat pia plebs favorem
Tempus in omne.
Sit Deo ſoli decus æviternum,
Qui ſupra cæli reſidens cacumen,
Jugiter trino celebratur unum
Nomine Numen. Amen.

AD LAUDES.

JEsu, redemptor omnium,
Audi tuorum cantica,
Qui voce dicunt publicâ
Antiſtitis præconium.
Hic eſt, tui qui nominis
Confeſſione claruit,
Qui ſanctitate floruit,
Aſtus triumphans dæmonis.
Qui ſprevit alto pectore
Sortis caducæ præmia,
Et blanda mundi gaudia,
Toto potitur æthere.
Fac ejus ad veſtigia
Greſſus vagos nos figere;
Tuo fugare munere
Omnis mali contagia.
Jesu, ſupreme præſulum,
Tibi ſit omnis gloria
In ſanctitatis curia
Per omne ſemper ſæculum. Amen.

COMMUNE CONFESSORUM NON PONTIFICUM.

AD VESPERAS, & Matutinum.

INTEGER morum fideíque cultor;
Cœlitum ſacras radians per ædes,
Quas pius reddi tibi vult redemptor
Accipe laudes.
Qui choris junctus Superûm beatis
Nos viam tecum cupis ire rectam,
De tuis noſtram bonus uſque factis
Inſtrue vitam.
Tu juvas dextrâ miſeros potenti;
Nam Deus per te ſimul ac vocatur,
Qui diu morbis jacuere fracti
Reſtituuntur.
Hinc tibi juſtum referens honorem,
Et ſacri cultus ſtudium perenne,
Hæc tuum ſperat pia plebs favorem
Tempus in omne.

Sit

Sit Deo ſoli decus æviternum,
Qui ſupra cæli reſidens cacumen,
Jugiter trino celebratur unum
Nomine Numen. Amen.

AD LAVDES.

Jesu, tuorum gloria,
Quos muneras in patria,
Piis adeſto cantibus,
Tuis favens cultoribus.
Omnem remitte noxiam,
Sancti per hujus gratiam,
Cujus colit perennia
Devota plebs ſolemnia.
Hic vana terræ gaudia,
Et ampla ſprevit prædia,
Ut inquinata ſordibus,
Nec digna ſanctis cordibus.
Te, Chriſte, ſpectans jugiter,
Et te ſequens fideliter,
Eluſit artes dæmonum,
Labéſque fugit criminum.
Fide fuit mirabilis,
Virtutibúſque nobilis;
Jejuna geſtans viſcera,
Supra tulit ſe ſidera.
Hinc te, Deus piiſſime,
Remunerans largiſſimè,

Hujus favore poſcimus,
Venire da, quò tendimus.
O præpotens Divinitas,
In unitate Trinitas,
Fac nos frui conſortibus
Te confitentûm cœtibus. Amen.

IN FESTIS
SS. VIRGINUM,
AD VESPERAS,
& Matutinum.

IEsu, Corona Virginum,
Parens ſacrorum germinum;
Cui nec pater, nec frater eſt,
Cui virgo ſoli mater eſt.
Qui vivis inter lilia,
Electus inter millia;
Sponſus decore nobilis;
Totus tuis amabilis.
Quocúnque te converteris,
Caſtâ cohorte cingeris:
Suo coruſcant lumine,
Produnt ſuo ſe carmine.

Tu, ſponſe, Jesu, Virginum,
Motus doma cupidinum;
Sana ſalubri dexterâ
Corruptionis vulnera.
Summo parenti luminum
Natóque ſponſo Virginum,
Tibíque, ſancte Spiritus,
Sit grata noſtra ſervitus. Amen.

PRO

VIRGINE ET MARTYRE.

AD MATUTINUM.

VIRGINIS proles, opiféxque matris,
Virgo quem geſſit, peperitque virgo,
Laudibus da te celebrare noſtris,
Virginis ergo.
Hæc enim palmæ duplicis decore,
Vicit & ſexum, ſimul & tyrannum;
Virginem ſponſum proprio cruore
Quæſiit unum.
Hinc nec humanæ mala cuncta vitæ,
Nec feræ mortis metuens dolores,

Angelos inter meruit beatæ
Sedis honores.
Sit Deo ſoli decus æviternum,
Qui ſupra cæli reſidens cacumen,
Jugiter trino celebratur unum
Nomine Numen. Amen.

PRO

VIRGINE NON MARTYRE.

AD MATUTINUM.

Virginis proles, opifèxque matris,
Virgo quem geſſit, peperítque virgo,
Laudibus da te celebrare noſtris,
Virginis ergo.
Hujus oratu, meritíſque, Chriſte,
Solve nos omni ſcelerum reatu,
Ut ſacro manent animata per te
Carmina cantu.
Sit Deo ſoli decus æviternum,
Qui ſupra cœli reſidens cacumen,

Jugiter trino celebratur unum
Nomine Numen. Amen.

PRO

MARTYRE NON VIRGINE.

AD MATVTINVM.

MARTYR æterno veneranda cultu,
Laureâ frontem radiante cincta,
Noſtra feſtivo renovata cantu
Accipe vota.
Tu nec humanæ mala cuncta vitæ,
Nec feræ mortis metuens dolores,
Poſſides victrix meritos beatæ
Sortis honores.
Hujus oratu, meritíſque, Chriſte,
Solve nos omni ſcelerum reatu,
Ut ſacro manent animata per te
Carmina cantu.
Sit Deo ſoli decus æviternum,
Qui ſupra cæli reſidens cacumen,
Jugiter trino celebratur unum
Nomine Numen. Amen.

PRO SANCTA NEC VIRGINE NEC MARTYRE.

AD VESPERAS, & Laudes.

FORTIS virili pectore
Hæc prædicetur Fœmina,
Cujus beato funere
Cœli triumphant agmina.
Amore ſancto ſaucia,
Suíque vivens neſcia,
Ad templa tendens ſiderum
Iter peregit aſperum.
Carnem domans jejunio;
Et intimis præcordiis
Dei vacans præconio,
Cœli potitur gaudiis.
Qui magna ſolus efficis,
Nec parva, Chriſte, deſpicis,
Tu nos jacentes erige,
Ad te reverſos dirige.

Tibi, Patri cum Spiritu,
Sit, Chriſte, jugis gloria:
Et proſpero fac tranſitu
Regnare nos in patria. Amen.

AD MATVTINVM.

NORMA prudentum ſacra fœminarum,
Sedibus regnans ſuperum beatis;
Supplicum, nutu facili, tuorum
Annue votis.

Tu, Deo per te miſeros juvante,
Solve nos omni ſcelerum reatu,
Ut juvent ſancto recitanda de te
Cantica fructu.

Sit Deo ſoli decus æviternum,
Qui ſupra cæli reſidens cacumen,
Jugiter trino celebratur unum
Nomine Numen. Amen.

IN DEDICATIONE ECCLESIÆ.

AD VESPERAS & Matutinum.

O Sionis arx ſuperna,
Vera pacis viſio;
Angelorum quam corona
Recreat conſortio;
Una Chriſto ſponſa digna,
Una digna manſio.
Militantis gnata matris,
Sorte nupta proſperâ;
Quam Dei profuſa Patris
Rite dotat dextera,
Imperánſque ſponſus aſtris
Tollit inter ſidera.
Hîc decora morte functis
Ampla ſtant palatia:
Sunt aperta mille cunctis
Civitatis oſtia:
Nulla verbis, tota factis
Impetratur gratia.

Conſtruunt has viva ſedes
Saxa munda ſordibus:
His locari quiſquis ardes
Te para laboribus;
Per dolores, pérque clades
His venitur ædibus.
Urbis almæ juge lumen,
O beata Trinitas,
Sit tibi perenne nomen,
Laus, honor, felicitas:
Unius, triníque Numen
Laudet univerſitas. Amen.

AD LAUDES.

ANgularis monte ſancto
Petra Chriſtus decidit;
Et ſub uno rite tecto
Manſionem condidit,
Quâ ſolo cœlóque juncto,
Ima ſummis addidit.
Hinc perenni cum Beatis
Laude certant Angeli:
Inde nos curis relictis,
Et tumultu ſæculi,
Hæc replemus templa votis,
Jam Sionis æmuli.
His, Deus, clemens adeſto
Invocatus ædibus;

Te favore pande toto
Supplicantûm mentibus,
Et gelu cordis ſoluto
Ure ſacris ignibus.
Huc ovile, Chriſte paſtor,
Undequaque congrega;
Hîc tuis fave, Redemptor,
A malíſque ſegrega,
Et ſupremæ ſortis autor
Nos Beatis aggrega.
Urbis almæ juge lumen,
O beata Trinitas,
Sit tibi perenne nomen,
Laus, honor, felicitas:
Unius, triníque Numen
Laudet univerſitas. Amen.

HYMNORUM
PARS
ALTERA.

LECTORI.

LECTORI.

AD abſolutam Hymnorum, qui Breviario Romano continentur, exornationem, recentes nonnullos, quaſi aptum, conveniénſque corollarium adjungimus.

Primùm quidem novus Hymnus de Circumciſione Domini additus eſt; ut quemadmodum reliquis JESU CHRISTI *feſtis, plures etiam ſingulis tribuuntur Hymni, unus ſaltem huic Solemni feſto proprius aſsignaretur.*

De Feſto item S S. Trinitatis, cùm proprij non haberentur Hymni, ſed certæ duntaxat carminum ſtrophæ, ex quarumdam Feriarum

Hymnis excerpta, operæpretium fuit, tres breves Hymnos, huic myſterio accommodatos apponere, qui ternis, ut antè, ſtrophis, ſinguli conſtarent.

His accedit triplex de SS. Sacramento Proſa, ab Angelico Doctore non concinnè minùs, quàm piè conſcripta; quam etſi propter ſingularem tùm argumenti, tùm autoris dignitatem, veriſimillimum ſit, non aliis unquam verbis, aut alieno cultu in Eccleſia fore decantandam, tamen quoniam illa, Eccleſiaſticos inter Hymnos, ſuum honorificè locum obtinet, non mihi vitio vertendum eſſe duxi, ſi tam piam, præclarámque ſcriptionem, ſuis jam Rhythmis apprimè comparatam, nunc etiam poëticis metris, & pari cum reliquis Hymnis ornatu, conſpiciendam redderem; ne id ſaltem decus, tantillo huic operi

deſuiſſe videretur. Qua in re ſi non feliciter admodum laboratum eſt, hoc ſaltem affirmare poſſum, vix reperiri poſſe, qui Proſam illam ad legitimam, quam præ ſe fert Trochaïci carminis formam, adducere queat, ſalvâ omnino & integritate ſententiæ, & Rhythmorum eorumdem conformatione.

Proponuntur deinde proprij quorumdam Sanctorum Hymni, quibus parum convenire communes videntur; quales uſurpari ſolent in Feſtis SS. Ioachim & Annæ, ſimiliter in Decollatione S. Ioannis Baptiſtæ, ubi præſertim ad Laudes, minus aptè, veréque concinitur, Invicte Martyr, unicum Patris ſecutus Filium.

Acceſſerunt denique huic poſtremæ editioni, novi aliquot Hymni, Eccleſiarum quarumdam proprij, aut peculiaribus illarum feſtis accommo-

dati ; quibus multò plures alij adjungi poſſent, de ſingulis præſertim inſignium Eccleſiarum Patronis ; quos ego majori otio & accuratione, pro ſua cuique pietate, & induſtria elaborandos relinquo.

IHS

IN CIRCUMCISIONE DOMINI.

AD VESPERAS.

DUM Virgo læta cogitat
Partûs ſui miracula,
Silénſque ſecum penſitat
Nati Dei cunabula.
Abſtractus infans ubere,
Ex lege circumciditur;
Sed quo feritur vulnere,
Hoc ipſa lex occiditur.
Hinc ſanguis in nos depluit,
Pro diluendis ſordibus;
Cœleſtis ut ros defluit,
Pro molliendis cordibus.

Servi notanda ſtigmate
Caro tenella ſcinditur ;
Sacro fluens dum chriſmate
Salubre nomen inditur.
Jesus ei vocabulum,
Cui totus orbis ſubditur ;
Salutis ut ſignaculum
Cor, lingua, mens amplectitur.
Sit laus, ſalus, dilectio
Uni ſupremo Numini :
Sit laus Mariæ Filio,
Sanctóque Jesu nomini. Amen.

IN FESTO
SS. TRINITATIS,
AD VESPERAS.

BEATA lux credentium,
Lex ſumma, vita mentium,
Unus Deus ſubſtantiâ,
Trinúſque ſubſiſtentiâ.
Tu primus & noviſſimus,
Ter optimus, ter maximus ;

Et omnium primordium,
Et finis unus omnium.
JESU, ſuperna claritas,
Per quem palam fit Trinitas,
Tibi, Patri, cum Flamine,
Sit laus in uno Numine. Amen.

AD MATVTINVM.

VNUM Deum, tres credimus,
Unam trium ſubſtantiam;
Unam tribus rependimus
Honoris obſervantiam.
Deus Pater, fons luminis;
Imago Patris Filius;
Et Spiritus cor Numinis;
Nil eſt eis æqualius.
JESU, ſuperna claritas,
Tibi, Patri, cum Flamine
Æterna ſit felicitas,
Et laus in uno Numine. Amen.

AD LAVDES.

LAUDUM, Deus, fons omnium;
Quæ digna te laudatio?
Hoc te decet præconium,
Uno coli ſilentio.

Mens non valet cognoſcere
Qualis trium ſit unitas;
Nec ulla lingua dicere
Quid unius ſit Trinitas.
JESU, ſuperna claritas,
Tibi, Patri, cum Flamine,
Æterna ſit felicitas,
Et laus in uno Numine. Amen.

IN FESTO
CORPORIS CHRISTI.
AD VESPERAS.

PANGE lingua glorioſi
Corporis myſterium;
Singulare dic profuſi
Sanguinis donarium:
Dic amoris ſumptuoſi,
De Deo convivium.
Sponte noſter ipſe factus
Matre natus virgine,
Inque mundo commoratus
Corda purgans crimine;

Cuncta miro proſecutus
Juſſa complet ordine.
In ſupremæ nocte cœnæ
Accubans cum fratribus,
Abſolutâ lege plenè
In cibis legalibus,
Se bonus paſtor benignè
In cibum dat omnibus.
Pane carnem, corporatum
Voce Verbum conficit;
Fitque ſanguis, antè vinum;
Senſus & ſi deficit,
Ad pium cor ſublevandum
Mens fidelis ſufficit.
Ecce panem conſecratum:
Procidamus cernui;
Omne cedat inſtitutum
Chriſtiano ritui;
Det fides juvamen aptum
Senſuum defectui.
Summa ſummo ſit Parenti
Laus & exultatio,
Filióque præpotenti
Laus, honor, dilectio,
Ex utroque prodeunti
Par ſit & laudatio. Amen.

AD MATUTINUM.

DUM Chriſtum reſonant feſta perennia,
Sancto juncta fluant carmine gaudia;
In noſtris nova ſint omnia cordibus,
Ardor ſit novus omnibus.
En noctis colitur cœna noviſſima,
Quam Chriſtus celebrans, abſtulit Azyma;
Ceſſit priſca novæ cœna prioribus
Olim tradita Patribus.
Agni poſt ſolitas anniculi dapes,
Menſæ propoſuit mirificas opes,
Se cunctis tribuens, ſe quoque ſingulis,
Quod nec præſtitit Angelis.
Sacrum Diſcipulis hoc dedit exequi,
Quos & Preſbyteris ſic licet aſſequi,
Ut poſſint propriis ſumere dexteris,
Poſſint & dare ceteris.
Infirmos reficit ſumptio corporis,
Mœſtos exhilarat potio ſanguinis:
Carnem, Chriſtus ait, donóque ſanguinem,
Excludi volo neminem.

O ſors! Angelici panis edulium,
In terris hominum fit cibus omnium:
Res miranda! Deum jam vice pabuli
Claudi pectore ſervuli.
Tu, Divina Trias, ſummáque charitas,
Quos dignanter alis ſæpéque viſitas,
Fac te perſpicuò lumine cernere,
Et cœli dape vivere. Amen.

AD LAUDES.

VERBUM manens in æthere,
Idémque terris editum,
Functum ſalutis munere
Vitæ parabat exitum.
Diræ necis ſpectaculum
Cunctis futurum gentibus,
Cœleſtis eſcæ pabulum
Prius dedit ſe fratribus.
Bíno ſimul velamine
Sanguis, caróque traditur,
Quorum potenti numine
Corpúſque ménſque paſcitur.
Naſcens parem ſe reddidit,
Paſcens ſuos, edulium:

Cæſus vadem ſe prodidit,
Regnánſque ſe dat præmium.
O charitatis hoſtia!
Certum ſalutis oſtium,
Tuâ retunde gratiâ
Vires & auſus hoſtium.
Uni Trium ſub nomine
Jugis Deo ſit gloria;
Qui nos perenni lumine
Cœli frui det patriâ. Amen.

DE
SANCTO JOACHIM.
AD VESPERAS, & Matutinum.

CLARA nitens origine,
Regum parentum ſanguine,
Patérque Matris Virginis,
Avúſque nati Numinis.
Illis, ſat eſt hoc dicere
Qui te volunt extollere:
Hac, nulla major dignitas;
Non major eſt felicitas.

Sit

Sit Trinitati gloria,
Jesu, tibi laus propria,
Qui Joachimi ſanguine
Es Matre natus Virgine. Amen.

AD LAUDES.

QUis non fateri gaudeat,
Quid Joachimo debeat?
An non Avo ſit debitum
Quod ab Nepote præſtitum?
Deo ſedens jam proximus
Hæc impetrat quæ poſcimus,
Gnatâ rogante ſupplice,
Ipſo nepote judîce.
Sit Trinitati gloria;
Jesu, tibi laus propria,
Qui Joachimi ſanguine,
Es Matre natus Virgine. Amen.

DE SANCTA ANNA.

AD VESPERAS, & Matutinum.

INsignis, Anna, nomine,
Is ante matres ordine

Et fœminarum millia ;
Unâ minor, ſed filiâ.
Ex te Maria naſcitur,
Per te ſacris addicitur,
Sub te coruſcat omnibus
Dei parentis dotibus.
Sit Trinitati gloria ;
Jesu, tibi laus propria,
Annæ decus propaginis,
Fili Mariæ virginis. Amen.

AD LAUDES.

Quis, Anna, te felicior ?
Quæ mater unquam dignior ?
Quæ labis abſque debito
Fœtu parens ſis inclyto.
Longo ſalutis ordine,
Eſt ortus Annæ ſanguine,
Jesus redemptor omnium,
Laudum ſeges perennium.
Sit Trinitati gloria,
Jesu, tibi laus propria,
Annæ decus propaginis,
Fili Mariæ virginis. Amen.

IN DECOLLATIONE S. JOANNIS BAPTISTÆ.

AD VESPERAS, & Matutinum.

Baptista, vir mirabilis,
Ortu, ſacríſque dotibus;
Pro caſtitatis juribus
Mortis decore nobilis.
Chriſtum propinquum ſentiens
Intra Mariæ viſcera,
Prædicis ante tempora,
In matris alvo geſtiens.
Adeſſe præſens indicas
Cunctis palam ſtupentibus:
Limbóque clauſis Patribus
Veniſſe demum prædicas.
Lucerna factus omnibus,
Præis docens Apoſtolis:
Ipſis nec impar Angelis,
Cunctis prior mortalibus.
Tibi beata Trinitas,
Joannis ob victoriam,

Et caſtitatis gloriam
Æterna laudum claritas. Amen.

AD LAUDES.

O Mentis æſtus barbaræ!
Hunc, nota cujus ſanctitas
Regis necat crudelitas,
Flammâ furens adulteræ.
Vox, prima Chriſti nuntia,
Conſtricta tetro carcere,
Cadit reſecto gutture,
Perferre crimen neſcia.
Sed caſta quæ vox diſplicet,
Intemperanti fœminæ,
Fœdo perempta crimine
Ceſſit quidem, non conticet.
Nam fama manat criminis;
Joannis innocentiam,
Herodis inclementiam,
Vox clamat ipſa ſanguinis.
Tibi, beata Trinitas
Joannis ob victoriam,
Et caſtitatis gloriam,
Laudum perennis claritas. Amen.

DE
SANCTO MARTINO.
AD VESPERAS, & Matutinum.

ORBE qui, Præſul, celebraris omni,
Omnium votis & honore dignus,
Te piæ mentis ſtudio perenni
Hic canit hymnus.

Veſtibus donas propriis egentem,
Dum riget totis fera bruma caſtris,
Quas ad ornatum ſibi vult decentem
Chriſtus in aſtris.

Jam ſtatus ſordet tibi militaris,
Et calet pectus meliore flammâ:
Tu ſacer Chriſto ſacra deſtinaris
Miles ad arma.

Hoſte cùm multo ſubeunda pugna,
Mille cum monſtris, vitiiſque mille;
Nequa commiſſum feriat maligna
Peſtis ovile.

Tu ſimul morbis medicina cunctis,
Comprimis mortem, retinéſque vinctam;
Et potes rurſum tumulo ſepultis
Reddere vitam.
O potens factis, meritíſque Paſtor,
Semper humanæ cupidus ſalutis,
Nunc bonus noſtris pietatis auctor
Annue votis.
Trinitas unum veneranda Numen,
Da tuæ laudis decus ad perenne
Dulce Martini celebrare nomen
Tempus in omne. Amen.

AD LAVDES.

MARTINUS ægro corpore,
Mortis propinquæ præſcius,
Spreto triumphans funere,
De plebe pendet anxius.
Hinc mens ſuavè tangitur
Summi boni cupidine:
Et inde triſtis angitur
Gregis ſui formidine.
Cœlum placet conſcendere?
Cœlum patens oſtenditur:
Gregi tuendo vivere?
Sic cum Deo jam vivitur.

Deum datur ſi viſere ;
Mors prompta , vitâ tutior :
Si pro Deo ſe perdere ;
Eſt vita cœlo carior.
Sat eſt , ais , quod diligam ;
Nolim mori nec vivere :
Neutrum duorum deligam ;
Præſtat Deo ſe credere.
Paſtoris ô cor nobile !
Mors ipſa quem non perculit :
O cor ſuis amabile !
Quos ille cœlo prætulit.
Jesu , corona Præſulum
Tibi , Patri , cum Spiritu ,
Sit omne laus per ſæculum ,
Nobíſque pax in exitu. Amen.

DE SANCTO FIACRIO.

AD VESPERAS.

Regiæ ſtirpis decoratus ortu ,
Et ſacri famâ celeber ſepulcri ,
Nos libens audi , placidóque vultu ,
Sancte Fiacri.

Tu piis primæ ſtudiis juventæ,
Sæpe Divinos recolens favores,
Præcoces Chriſto pietatis altæ
Promis amores.

Patriam linquis, patre jam relicto;
Nec placent urbes, hominúmque turbæ;
Solus ac pauper cupis eſſe toto
Exul in orbe.

Abderis denſo nemoris receſſu;
Corpus affligans, cruciánſque caſtum,
Mens ut hinc prompto, facilíque curſu
Tendat in altum.

Gaudiis cœli ſolitus potiri,
Cœlitum dotes ſimul æmularis;
Jure terrenis poteras videri
Angelus oris.

Sit decus laudis tibi ſempiternum,
Qui ſupra cæli reſidens cacumen,
Jugiter trino celebraris unum
Nomine Numen. Amen.

AD MATVTINVM.

QUAM laudum cupidos arcet honoribus
Obſtans immeritis gloria laudibus,

Tam quærit cupidè juſta celebrium
Rerum fama Fiacrium.
Quid fruſtra latebras ſedulus incolis,
Laudis promeritæ ſpretor amabilis ?
Hæc ſe ritè negat dura ſequacibus,
Occurrit fugientibus.
Sic virtutis honor te magè prædicat,
Quò virtutis amor te minùs indicat,
Sicut gemma ſuo lumine proditur,
Cœno ſiqua reconditur.
Ad te crebra tui turba cupidine
Circumquaque pio convolat agmine :
Tu virtute potens das medicamina,
Ægris certa levamina.
O qui nunc reſides ſedibus ætheris,
Et patronus ades rebus in aſperis,
Fac puris animas vivere moribus,
Sanis corpora viribus.
Summo ſumma Patri gloria jugiter,
Laus &, Nate, tibi ſumma perenniter,
Communíſque ſimul ſit tibi, Spiritus,
Laus & gloria cœlitus. Amen.

AD LAUDES.

DUM lætiori lumine
Nos reſpicit Fiacrius,
Grato patronum carmine
Omnes canant alacriùs.
Latens, fuit ſpectabilis,
Dignum Deo ſpectaculum:
Crebris potens miraculis,
Magnum fuit miraculum.
Hæc nempe Sancti gloria,
Spreviſſe mundi gloriam;
Inſignis hæc victoria,
Quæ dat ſui victoriam.
Hinc vita felix extitit,
Mortis piæ primordium;
Et mors viciſſim præſtitit
Vitæ beatæ præmium.
Quin & ſepulcro conditus
Vivit ſuperſtes funeri;
Nam curat ægros cœlitus
Menti medens & corpori.
Deo Patri ſit gloria,
Nato, ſimul cum Spiritu,
Qui militantûm prælia
Fauſto coronant exitu. Amen.

DE
SANCTA ROSALIA, VIRGINE.

Cujus cultum in Eccleſiam uuiverſam induxit piiſsimus Pontifex Vrbanus VIII. eidémque feſtos dies in Martyrologio Romano duos attribuit; unum obitûs, 4. Septemb. alterum Inventionis, 15. Iulij.

HYMNVS.

TE, fons perennis luminum,
Quo ſacra florent lilia,
Te, CHRISTE, ſponſe Virginum,
Laudamus in Roſalia.
Hæc ad parentum gloriam
Regum ſuperbam ſanguine
Junxit Roſæ fragrantiam,
Omen ferens in nomine.
Paterna linquit prædia,
Opes caducas exuit;

Superna libans gaudia,
Cæleſte pectus induit.
Cunctis latet mortalibus
Mirum polo ſpectaculum;
Unis fruens cœleſtibus,
Magnum ſolo miraculum.
His aucta cœli viribus
Totam dicat ſe Numini;
Jesu flagrans amoribus
Fit ſponſa ſponſo virgini.
Hic matris inter ubera,
Sacris decoram gratiis
Suâ corónat dexterâ;
Suis honorat nuptiis.
Dei parens, & filia,
Puris amica mentibus,
Fac, cum tuâ Roſaliâ
Nos eſſe mundis cordibus.
O fons amoris, Trinitas,
Da, nos frui favoribus,
Immenſa quos benignitas
Sui refert amantibus. Amen.

DE

DE S. ANDREA APOSTOLO.

AD VESPERAS.

Crucis quis hac in arbore,
Chriſti fidelis æmulus,
Pendente proſtat corpore ?
Eſt Andreas Apoſtolus,
Qui ſe prior ſodalium,
Chriſto docendum dedidit,
Et junctus ad conſortium
In aſſeclam ſe tradidit.
Sub corporis velamine
Numen penetrat abditum,
Auctuſque ſacro lumine
Supplex adorat cognitum.
Illum trahit ſuaviter
Jesus amoris vinculo ;
Sic ille Jesum firmiter
Amore jungit ſedulo.
Petrus ſecutus proximè
Hortante venit Andreâ :
Uterque dignus maximè
Apoſtolatus laureâ.

Tu grata Chriſti lumina
Fac, Andrea, nos cernere;
Et celſa cæli culmina
Ductore te conſcendere.
Præſta, beata Trinitas,
Ut cum tuis Apoſtolis
Nos una jungat charitas
Cunctis beatos ſæculis. Amen.

AD MATVTINVM.

QUI pauper arte Victitans
Tendebat hamos piſcibus,
Cymbáque prædam quæritans,
Vitam trahebat retibus.
Hac ſorte deſpicabilis,
Captator ante piſcium
Chriſto vocante, nobilis
Piſcator eſt peccantium.
Sancto regente Spiritu
Mundi natans in fluctibus,
Fauſto laborat exitu
Chriſto lucrandis cordibus.
Quot barbarorum millia
Ab execrandis ritibus
Dei retraxit gratiâ
Auxitque ſanctis moribus!
Sed hoſtium calumniâ
In jus malignè ducitur

Et dura paſſus omnia
Mox innocens occiditur.
Præſta, beata Trinitas,
Ut cum tuis Apoſtolis
Nos una jungat charitas
Cunctis beatos ſæculis. Amen.

AD LAUDES.

CRUDELE prô ſpectaculum,
Quod corda tangat ferrea!
Crux criminum piaculum
Tibi paratur, Andrea.
Hanc ille blandè contuens
Magnis celebrat laudibus;
Gratoſque vultus induens
Exclamat altis vocibus.
Crux, chriſtiani nominis
Honor, ſalus, felicitas!
Salve ſacræ dulcedinis
Origo, ſpes, perennitas.
Quàm te diu deſidero!
Quàm me beatum ſentiam,
Fixum tibi dum videro:
Hanc des amanti gratiam.
Hortante Chriſto principe,
Servus magiſtrum ſubſequor:
Mori volentem ſuſcipe;
Si me retardas, enecor.

Affixus inde ſtipiti
Exultat optans tranſitum:
Tandemque flatu præpeti
Cœlo remittit ſpiritum.
Præſta, beata Trinitas,
Ut cum tuis Apoſtolis
Nos una jungat charitas,
Cunctis beatos ſæculis. Amen.

IN NATALI
S. LIBORII
EPISCOPI CENOMANENSIS
ET ECCLESIÆ PADERBORNENSIS
Patroni.

AD VESPERAS.

HIc ille vir Liborius,
Qui ſplendor olim Galliæ;
Nunc tutor eſt Veſtphalliæ,
Nuſquam manens inglorius.
Virtutis omen nobile
Primis ab annis edidit;

Et jam virum ſe prodidit
Celsâ decorus indole.
Præſtans in illo caſtitas,
Inſignis innocentia,
Mirabilis modeſtia,
Et ſancta morum dignitas.
Sacro regente Flamine
Pericla vitat criminum,
Præſtigiaſque Dæmonum
Magnâ cavet formidine.
Sanctâ vacans pſalmodiâ,
Plenuſque ſummo numine,
Mirâ ſolet dulcedine
Haurire cæli gaudia.
His moribus ſpectabilis,
Unique Chriſto deditus,
Aſſumitur divinitus
Ad munus altum præſulis.
Sit laus Patri cum Filio,
Tibíque ſancte Spiritus
Qui dona tanta Cælitus
Largitus es Liborio. Amen.

AD MATVTINVM.

FRUSTRA, Libori, niteris,
Latere fruſtra quæritas:
Epiſcopus depòſceris,
Te prodit ipſa ſanctitas.

Hæc nempe te jam cognitum,
Magniſque clarum dotibus,
Junxit choris antiſtitum,
Cunctis palam plaudentibus.
Sacris verendus infulis
Arces mali contagia,
Sanctæque vitæ regulis
Plebis regis veſtigia.
Luſtras ſagaci lumine
Quidquid timendum moribus:
Tuis ades juvamine
Ubique præſens omnibus.
Tu charitatis viſcera
Recludis indigentibus,
Et liberali dexterâ
Nil denegas petentibus.
Per te ſupremo Numini
Delubra ſtant ſublimia
Et ſacra Chriſti nomini
Donis micant altaria.
Sit laus Patri cum Filio,
Sancto ſimul cum Flamine,
Lex cujus in Liborio
Jugi refulſit lumine. Amen.

AD LAUDES.

ANNIS gravis Liborius,
Servus Dei palmarius,

Ægro jacebat corpore,
Morti propinquus proſperæ.
En præſulum clariſſimus
Martinus urbi proximus,
Ægri ſtat in cubiculo,
Monente miſſus Angeſo.
Hujus lubens in pectore
Fauſto cadit dum funere,
Oris ſupernis editum
Liborius dat ſpiritum.
Cæli receptus ſedibus
Signis micat cæleſtibus:
Ejus palam fit gloria,
Morbis medendi gratiâ.
Illius ex imagine
Quot dona pendent ordine,
Tot ſunt ab ipſo proſpera
Curationum munera.
Hîc ſunt arenæ, calculi,
Mœſtum genus ſpectaculi;
Sed his placens qui talibus
Sunt liberi doloribus.
Summus Pater cum Filio
Laudetur in Liborio:
Sancto decus ſit Flamini;
Uni trium laus Numini. Amen.

IN TRANSLATIONE S. LIBORII EX GALLIA IN GERMANIAM.

AD VESPERAS, & Laudes.

GENS bellicoſa Saxonum,
Subjecta Chriſti legibus
Sacris lavatur fontibus
Cultu relicto Dæmonum.
Patronus illi quæritur,
Cujus ſub almo nomine,
Et ſoſpitali numine
Gens protegenda traditur.
Inſignis hic miraculis
Antiſtes eſt Liborius,
Quo nullus affert promptiùs
Cunctis opem periculis.
Corpus ſepulcris erutum
Cenomanum dat civitas,
Ex quo Padræ felicitas
Decuſque creſcit inclytum.

* *Paderborna priùs dicta eſt Padra;*

Quà ſacra tranſit ſarcina
Paſſim levantur triſtibus
Morbis, malis, doloribus
Qui ſancta viſunt lipſana.
Tandem brevi poſt tempore
Corpus cupitum Præſulis
Oris propinquat Veſtphalis
Tanto beatis pignore.
Sit laus Patri cum Filio,
Tibíque ſancte Spiritus,
Qui tanta dona cælitus
Oſtendis in Liborio. Amen.

AD MATVTINVM.

HIc ille vir Liborius
Qui ſplendor, &c. *Vt in die Natali.* Page 136.

IN SUSCEPTIONE
RELIQUIARUM
S. LIBORII
APUD PADERBORNAM.

AD VESPERAS, & Matutinum.

LUx ecce, lux amabilis,
Quâ ſiſtitur Liborius
Colentibus ſe veſtphalis,
Quibus nihil beatius.
Dies erat quo cælitus
Illapſus eſt Apoſtolis,
Divinus olim Spiritus;
Clarus dies miraculis.
Hoc præſul ille Spiritu
Mortis ſuperſtes caſibus,
Fauſto migravit tranſitu,
Spirans ſuis in oſſibus.
Afflata tanto numine
Omnis ſtrepit Provincia,
Liboriique nomine
Padræ ſonant confinia.

Tum lipſanis proſtantibus
Turbâque circùm plurimâ,
Cunctis ſimul mirantibus
Portenta fiunt maxima.
Sacrum propinquat ferculum
Fauſto viæ compendio:
Plebs currit ad ſpectaculum,
Urbs tota geſtit gaudio.
Præſta, Pater cum Filio
Simulque ſancto Spiritu,
Jungamur ut Liborio
Sancto ſalutis exitu. Amen.

AD LAUDES.

EN ſancta cultu publico
Intrant Padram geſtamina,
Lætoque ducta Cantico
Jucunda portant omina.
Poſt apparatum nobilem,
Sacris locantur ædibus:
Omnes patronum Præſulem
Feſtis ſalutant vocibus.
O glorioſa civitas
Tam proſpero ſub ſidere,
Amica cujus claritas
Toto refulget æthere.
Tu nos benignus aſpice,
Noſtræ voluptas patriæ;

Te protegamur auſpice,
Tuæ ſtudentes gloriæ.
Te corde Franci nobili
Suum colunt Antiſtitem;
Te mente grata Veſtphali
Suum fatentur præſtitem.
Qui natione Gallus es
Tuam tuere Galliam:
Amore qui Germanus es
Charam fove Germaniam.
Corona, Chriſte, Præſulum
Jugis tibi laudatio,
Perenne qui per ſæculum
Laudaris in Liborio. Amen.

IN REDUCTIONE RELIQUIARUM S. LIBORII.

AD VESPERAS & Matutinum.

HEu qualis inſolentia!
Ingreſſa ſanctuarium

Conta-

Contaminat ſacrarium
Satellitum gens impia.
Hîc incitante Dæmone,
Ducis manus nefarii
Arcam ſacram Liborii,
Lucri rapit cupidine.
Direpta ſancti pignora
E ferculis argenteis,
Circumferuntur linteis;
Hæc hæreſis ſunt tempora.
Divina ſed ſtat ultio;
Nam quæ manus vim fecerat,
Quæ res ſacras abduxerat
Reo perit cum brachio.
Verùm beati Præſulis
Poſt tot viæ diſcrimina
Redduntur urbi Lipſana;
Res exitu mirabilis.
Omnis Deo ſit gloria;
Pax & ſalus ſit omnibus
Liborii clientibus,
Cælique laus in Curia. Amen.

AD LAUDES,
& ſecundas Veſperas.

SAT luctuum ſit Orphanis;
Lætare nunc Veſtphalia;

Sancti patroni Lipſanis
Secunda ſunt Natalia.
Quem perditum deflevimus
In Lipſanorum pignore,
Jam reſtitutum cernimus
Novi triumphi fœnore.
Salve corona Præſulum,
Sacríque ſplendor ordinis,
Ævi tui miraculum,
Amor ſupremi Numinis.
Tu certa ſpes Clientium,
Medela ſumma calculi,
Tutela præſens civium,
Soli voluptas veſtphali.
Adeſto curâ perpeti
Sancti gregis paſtoribus;
Noſtróque ſis Antiſtiti
Votis favens in omnibus.
Uni ter almo Numini
Sit laus, decus, dilectio,
Liboriique nomini
Æterna ſit laudatio. Amen.

DE S. JULIANO MILITE MARTYRE.

AD VESPERAS.

AD ſumma cæli gaudia
Dulci ſimul concordiâ
Tellus reſultet plauſibus,
In Juliani Laudibus.
Clarus Viennæ Patriâ,
Nataliumque gloriâ;
Poſt bellicum proludium,
Chriſti meret ſtipendium.
Celat receptos cælitùs
Sancti favores Spiritus;
Et arma tractans fortiter,
Servit Deo fideliter.
Latet fides in pectore,
Suo probanda tempore:
Quam dum tuetur cautiùs,
Erumpit impotentiùs.
En Julianus quæritur,
Qui Chriſtianus creditur;
Et hoc reus fit nomine,
Quo gloriatur crimine.

Patri ſupremo Numini,
Nato, ſacróque Flamini,
Pro Martyris victoria,
Sit ſempiterna gloria. Amen.

AD MATVTINVM.

QUID Juliane cogitas?
Quid inquietus hæſitas?
Iter fugæ quà panditur,
Beata ſors oſtenditur.
Solum relinque patrium;
Legi Dei contrarium:
Te terra poſcit altera,
Quâ tranſeas ad ſidera.
Nec hunc fefellit irritus
Viæ ſalubris exitus:
Mox ut Brivatam pervenit,
Mortem requirens, invenit.
Patri ſupremo Numini,
Nato, ſacróque Flamini,
Laus in ſuperna curia,
Pro Juliani gloria. Amen.

AD LAVDES.

AD ſunt miniſtri Præſidis,
Satellites tyrannidis:

In Chriſtianos involant,
Et Julianum poſtulant.
It Julianus obviam;
Mortem ſequens ut præviam,
Suo ſacrandam ſanguine
Chriſti ſacro pro nomine.
Pœnis paratus omnibus
Dat ipſe ſe tortoribus:
Hos tanta non conſtantia,
Non tangit innocentia.
Agno ſtetit ſimillimus,
Morti cruentæ proximus;
Nil Chriſtiano dignius!
Chriſto fuit nil gratius.
Caput petunt, non abnuit;
Ferrum vibrant, non palluit:
Cadit reſecto gutture;
Victrix volat mens æthere.
Patri ſupremo Numini,
Nato, ſacróque Flamini,
Laus in ſuperna curia
Pro Juliani gloria. Amen.

DE S. LAURENTIO EPISCOPO DUBLINENSI. URBIS AUGENSIS PATRONO.

AD VESPERAS.

AUGUM beata civitas
Tutore ſub Laurentio
Præclara cujus ſanctitas
Ingens tui Laudatio.
Hic ortus ex Hibernia,
Aviſque clarus Regibus,
Ad magna natus omnia
Summis refulſit dotibus.
Fonti ſacro dum ſiſtitur
Vates venit prænuntius,
Quo cælitus decernitur
Vocetur ut Laurentius.
Hoc nominis præſagio
Ad bella ſacra naſcitur;
Ortúque clarus regio
Jam Laureatus editur.
Decennis obſes traditus
Extrema quæque pertulit;
Ægréque patri redditus,
Se, liber aris obtulit.

Ætate paulò grandior,
Cedit paternis ædibus,
Rebuſque ſacris aptior
Bonis ſtudet perennibus.
  Tibi, beata Trinitas,
Laus jugis & dilectio
Immenſa cujus largitas
Reſplendet in Laurentio. Amen.

AD MATVTINVM.

IAM deſtinatus infulis,
Nolens licet, nec conſcius
Ad grande munus præſulis,
Electus eſt Laurentius.
  Favente cœptis æthere,
Morum coërcet ſcandala,
Suóque dignus munere
Fit ſanctitátis regula.
  Precum ſtatuta munia
Frequens obit cum fratribus;
Chriſti canit præconia
Orátque totis noctibus.
  Quin & receſſu diſſito
Deo fruens ſublimiùs
Antro latet recondito,
Sibi vacans attentiùs.
  Hinc Moſis inſtar advenit
Dei gerens oracula;

Gregíque nunquam deſinit
Præbere mentis pabula.
Nec parcus eſt egentibus,
Opemve cuiquam denegat;
Sed cuncta ſe poſcentibus
Ut fert facultas, erogat.
Tibi, beata Trinitas
Laus jugis & dilectio,
Divina cujus largitas
Reſplendet in Laurentio. Amen.

AD LAUDES.

EXTORRIS en Laurentius!
Quem ſumma Regis duritas,
Suæque plebis orbitas
Angunt, premuntque triſtiùs.
O Præſul inviċtiſſime,
Quem præſtolaris exitum?
Ad aſtra ſpectes tranſitum;
Huc es vocandus proximè.
Hoc æger ipſe ſenſerat,
Dum montis ex cacumine,
Felice mortis omine
Augenſe templum viderat.
O terra, dixit, hoſpita,
Decreta ſedes funeris;
Quies ſuprema corporis,
Futura cæli ſemita.

Hîc fractus ægritudine,
Corpus ſepulcro tradidit,
Deóque mentem reddidit
Summo beandam lumine.
Illuſtris, Augum, civitas
Tutore ſub Laurentio!
Cujus potens defenſio
Eſt civium ſecuritas.
Tibi, beata Trinitas,
Laus jugis & dilectio:
Per te ſit & Laurentio
Æterna laudum claritas. Amen.

DE SANTO VALERICO ABBATE.

AD VESPERAS.

PASTOR à primis Valericus annis,
Rure qui natus, tenuíque ſorte,
Dum gregem paſcit, reperit perennis
Paſcua vitæ.

Doctus eſt nullo licet ab magiſtro,
Et legit pſalmos, canit & frequenter;
Unus eſt idem, paritérque tiro
Atque magiſter.
Æde diſcedit tacitus paternâ,
Et pii cætus latet in receſſu,
Mentis excelſo properans ſupernâ
Prendere greſſu.
Hàc iter novit ſibi præparatum;
Sed Columbani cupit ire ductu,
Séque, felici ſuper aſtra, tutum
Siſtere portu.
Interim Chriſti celebrare cultum
Gentibus pergit procul in remotis:
Et probat ſignis opus inſtitutum,
Dictáque factis.
At ſubit greſſu placido ſenecta,
Nobilis curſum cohibens laboris;
Morſque, ſtellatis animam, beata
Advocat oris.
Fauſta præſenſit, cupiitque fata,
Et ſui ſedem ſtatuit ſepulcri,
Mente, cæleſtis, reputans parata
Gaudia lucri.
Qui potens cælo, Valerice, gaudes,
Unius, fac nos, paritérque trini
Numinis, tecum cumulare Laudes
Laude perenni. Amen.

AD MATVTINVM.

QUi Leuconaüs dictus eſt,
Ignobili tunc nomine,
Nunc Vallerici lumine
Latè per orbem clarus eſt.
  Huc ſanctus Abbas appulit,
Sibíque junctis fratribus,
Crucis viam ſectantibus
Normam, façemque prætulit.
  In montis alto culmine,
Udo jacens ſub aëre,
Favente votis æthere,
Pleno potitur Numine.
  Cœtu procul ſodalium
Longis precatur noctibus,
Denſis manens in vepribus
Spinas ut inter lilium.
  Fracto licet ſit corpore,
Ægrè cibo ſe ſuſtinet:
Eſciſque cunctis abſtinet
Septem dierum tempore.
  Sibi parcus, non cæteris,
Præbet cibos egentibus;
Veſtit ſuis & veſtibus,
Tutor, patérque pauperis.
  Uni ſupremo Numini
Virtus, honor, Laudatio;

In Cœlitum conſortio
Laus Valerici nomini. Amen.

AD LAUDES.

VALRICE, vultus gratiâ,
Decore mentis gratior;
Morum gravis modeſtiâ,
Quâ non fuit præſtantior.
His dotibus ſpectabilis,
Virtutibuſque præditus,
Clarus nites miraculis,
Datíſque donis cælitus.
Secreta noſti cordium,
Longè remota conſpicis:
Noxas vides abſentium,
Futura certò conjicis.
Quæ vis tibi divinitus!
Ut ægra membra ſoſpites?
Pellas malignos ſpiritus?
Vitáque functos ſuſcites?
Sanus, recurvo corpore,
Blitmundus à te redditur;
Gravíque liber ulcere
Urſinus infans ſiſtitur.
Poſt hæc, beato funere,
Regnis fruens cæleſtibus,
Amoris amplo fœnore
Tuis ades cultoribus.

Hinc

Tu jure ſancti fœderis
Favens ſacrorum vindici,
Spondes Capeti poſteris
Regni coronam Francici.
Uni ter almo Numini
Decus ſit ac laudatio :
Sit Vallerici nomini
Æterna gratulatio. Amen.

DE S. BRUNONE.

AD VESPERAS.

CÆLESTIS orbis incola,
Bruno ſacri dux ordinis,
Lux alma ſolitudinis,
Perfecta vitæ regula.
Quis pectus horror perculit ?
In mortui dum funere,
Vox prodit è cadavere,
Metúmque cunctis intulit.
Exclamat ore flebili,
Damnatus uror ignibus
Perenniter flagrantibus,
Reus gravis piaculi.
Ad hoc ſtupet ſpectaculum
Æterna Bruno cogitans,

Opémque cœlo flagitans,
Jubet valere ſæculum.
Quid nos, ait, ſic vivimus?
Sortis futuræ neſcii,
Vitæ nocentis conſcii,
Ad inferos deſcendimus.
Heu qualis infelicitas?
Flammis aduri jugibus,
Fixis in ævum legibus!
O ignis! ô æternitas!
Mox cum ſuis ſodalibus,
Motis pari formidine,
Sacróque ductis numine,
Migrat relictis omnibus.
In Trinitatis nomine,
Uni Deo ſit gloria,
Quam vita ſolitaria
Brunonis auget lumine. Amen.

AD MATVTINVM.

O Solitudo nobilis!
Illuſtris ô Cartuſia!
Locus propinquus Angelis!
Confinis aſtris regia!
Huc ſacroſancto fœdere
Junctis ſibi ſex fratribus,
Bruno tulit ſe proſperè,
Stellis viam ſignantibus.
Cæcis in antris montium
Ut in ſepulcris conditi,

Unum gerunt negotium,
Deo colendo dediti.
Sed ſolis inſtar eminet
Summis nitens virtutibus,
Qui cuncta Bruno ſuſtinet,
Regítque ſanctis legibus.
Quæ ſenſuum cuſtodia?
Quæ corporis vexatio?
Quæ gloriæ faſtidia?
Qualis ſui demiſſio?
Ad hæc, precum perennitas
Tam longa per ſilentia:
Et ſumma victus parcitas,
Et carnis abſtinentia.
Sic abnegans ſe funditus
Facto ſui divortio,
Liber potitur cœlitus
Puro Dei conſortio.
Uni Deo ſit gloria
In Trinitatis nomine
Quam vita ſolitaria
Brunonis auget lumine. Amen.

AD LAUDES.

DUm vivus antro conderis
Jam, Bruno, civis ætheris,
Mirâ fruens dulcedine,
Ipsóque plenus Numine;

De rupe ſolitariâ
Te ſacra traxit curia:
Duci tuâ vult regulâ,
Ornare te vult infulâ.
Te Roma poſcit hoſpitem,
Rhegyna plebs antiſtitem:
Sed hæc abhorrens reſpuis,
Latere qui non abnuis.
Quò tu magis depoſceris,
Plus ipſe contra niteris:
Factáque mox licentiâ,
Ad ſancta pergis otia.
Profectus in Calabriam
Novam ſtruis Cartuſiam;
Et inſtituta priſtina
Gnarus reſumis advena.
Demum ſoluto corpore;
Cadis beato funere,
Annis gravis ſenilibus
Auctus magis virtutibus.
Sit nunc tui præconium;
Gratum tibi ſilentium:
Cui nulla par laudatio
Debet coli ſilentio.
Uni Deo ſit gloria,
Quam vita ſolitaria
Brunonis auget lumine,
In Trinitatis nomine. Amen.

IN FESTO DEI PATRIS HYMNI.

Celebratur Dominica quinta poſt Paſcha, in Eccleſia Patri æterno conſecrata, apud oppidum Argenſónium Diœceſis Turonenſis.

AD VESPERAS.

SUMMI Creator ætheris,
Pater ſupreme luminum,
Labentis exors temporis,
Origo fons originum.
Divina tu fœcunditas,
Quâ cuncta conſtant edita;
Et omnis eſt paternitas
Cœlo, ſolóque cognita.
Tu te penetrans intimum
Splendore mentis nobili,
Natum tui ſimillimum
Ortu paris mirabili.

Hic abſque Matre filius,
Partu profuſus Virgine,
Verbum Patris, vis illius,
Lumen, Deus, de lumine.
Ex te ſatus cognoſcitur;
Spiras in hac imagine:
Tibi coævus naſcitur,
Numen pari de numine.
Nati, Pater ſubſtantia,
Natuſque, Patris claritas;
Diverſa ſubſiſtentia,
Communis at Divinitas.
Sic junctus unus alteri,
Spirant amoris halitus:
Flammáque manat compari
Unus duorum ſpiritus.
Tibi, Pater, ſit gloria,
Nato ſimul cum Flamine,
Vi cujus extant omnia,
Spirant, agunt, ſtant ordine. Amen.

AD MATVTINVM,

Hymnus.

SEMPER Parens qui vixerat,
Verbúmque juge fuderat,
Summa fruens dulcedine
Cum Filio, cum Flamine.

Hic ille rerum conditor,
Nullius uſque debitor,
Extra volens ſe prodere,
Suæ probat vim dexteræ.
Quæ manſerant inania,
Ex ſe replevit omnia:
Et voce ſolâ conſtitit
Quodcunque mundo præſtitit.
Tuis, Pater, præſtantibus
Ornata cuncta dotibus,
Suam canunt penuriam
Tuam celebrant gloriam.
Homo ſed inſtar omnium,
Magnum tui præconium,
Tuâ fruens imagine
Primo refulget ordine.
Sed grande prô piaculum!
Pœnæ gravis ſpectaculum!
Homo reus, pro crimine
Toto luit cum ſemine.
Sic lata fert ſententia,
Niſi Dei clementiâ
Is, quo Patri nil charius,
Mortem ſubiret Filius.
Deo Patri ſit gloria,
Delicta qui nefaria,
Pro ſervuli piamine
Nati redemit ſanguine. Amen.

AD LAUDES,
Hymnus.

Ergóne plecti juſſerit
Pater benignus Filium?
Salute pro rebellium
Morti volens addixerit?
En quò ſalus mortalium,
Summíque Patris charitas,
Et ipſa culpæ fœditas,
Dei redegit Filium?
Hic natus ante ſæcula,
Hic agnus abſque crimine,
Homo ſatus de Virgine,
Mundi tulit piacula.
Nos improba ſub arbore
Pomum nocentes edimus:
Hic fert malum quod fecimus,
Sublatus atro funere.
Hinc eſt, cruci quòd figitur,
Et ſerta geſtat ſpinea,
Et vina ſumit fellea,
Et tot malis affligitur.
Par abluendo crimini
Dolor penetrat intima:
Talis fuit par victima
Summo litanda Numini.

Hæc illa Patris juſſio ;
Hæc ejus in nos charitas :
Ut juris eſſet æquitas
Tanto ſtetit redemptio !
Deo Patri ſit glotia,
Nato ſimul cum Flamine,
Qui mitis Agni ſanguine
Cæli recluſit atria. Amen.

DE FACIE CHRISTI PATIENTIS VERONICÆ VELO IMPRESSA.

HYMNVS I.

Inſtar Dialogi Chorum inter & Veronicam.

Sub cantu Vexilla Regis, *&c.*

CH. QUis vultus ille flebilis,
Suo natans in ſanguine ?
Dic Veronica nobilis,
Quid fers in hoc velamine ?
VER. Hic vultus, oſque Numinis,
Splendor paternæ gloriæ

Imago Matris Virginis,
Decus ſupernæ curiæ.

CH. Heu qualis hac imagine;
Quàm diſpar à ſe cernitur?
An ſic volente Numine
Plagis, probríſque traditur?

VER. Hæc probra, ſputa, vulnera
Peccata ſunt mortalium:
Tot facta ferre barbara
Suum Deus vult filium.

CH. O mira ſummi judicis
In filium ſeveritas!
O noxiarum vindicis
Nobis colenda charitas!

VER. Hoc nobili libamine
Commiſſa delet noxia:
Sic expiato crimine
Redintegrantur omnia.

CH. Uni Deo ſit gloria
Jesu ſalubri nomine;
Qui regna dat cœleſtia
Suo redempta ſanguine. Amen.

HYMNUS II.

HUc vos adeſte Cœlites,
Orbis ſuperni milites;
Veſtro duci ſuccurrite;
En vinctus eſt, accurrite.

Sed ſurda nunc ſunt ſidera,
Hæc ſunt dolorum tempora:
JESUS ſilens illuditur,
Vultus probris ſuffunditur.
Stat turba multa militum,
Cohors furens ſatellitum:
Et mille per ludribria
Fit pœna Chriſto ſeria.
Frontem coronant ſentibus,
Duriſque tundunt ictibus;
Cædunt genas arundine,
Sputíque fœdant grandine.
Caput verendi Numinis
Scaturit imbre ſanguinis
Vultúſque læſus verbere
Liveſcit atro tubere.
O fons ſalutis Trinitas,
O ſumma, Chriſte, charitas,
Da quam rogamus gratiam
Tui videndi copiam. Amen.

HYMNUS III.

AD Pontii palatium
Nocens fit innocentia:
Fertur necis ſententia
In Patris almi filium.
Sic innocens occiditur!
Structam cedro de maximâ


Crucem ſuam fert victima;
Figenda clavis ducitur.
Sub mole JESUS ſarcinæ
Succumbit impar ponderi:
Vis nulla reſtat corpori,
Sudor fluit cum ſanguine.
Urbs exit ad ſpectaculum,
Longo venitur agmine;
JESUM ſequuntur fœminæ
Tam grande flentes ſcandalum.
Sed una cunctis eminet
Stans Veronica proximè;
Amore flagrans intimè,
Vix ſe dolore ſuſtinet.
Chriſti cruore ſquallida
Abſtergit ora linteo,
Velóque mundat lineo
Quæ ſputa fœtent horrida.
Sors Veronicæ proſpera!
Velo per hauſtum ſanguinem
Vultus refert imaginem,
Pro charitatis teſſera.
Tu nos frui da fructibus
O liberalis Trinitas,
Immenſa quos fert charitas
JESUM piè colentibus. Amen.

HYMNI

HYMNI
SANCTORUM
ET
BEATORUM
EX SOCIETATE
Jesu.



Digitized by Google



Digitized by Google



HYMNI SANCTORUM ET BEATORUM EX SOCIETATE JESU.

DE SANCTO IGNATIO.

AD VESPERAS, & Matutinum.

NOMINIS JESU ſtudioſe cultor,
Bellico major, meliórque caſu:
Ordinis ſacri novus inſtitutor
Sub duce JESU.

Sterneris fauſto violatus ictu,
Nam vir, Ignati, novus inde ſurgis,
Móxque divino tibi miſſa ductu
Agmina cogis.
Propriâ clarus, patriáque laude,
Gloriæ dum te levis aura paſcit,
Te Dei laudis melior tuendæ
Gloria poſcit.
Hinc & humanæ cupidus ſalutis
Omnium curam generoſus ambis,
Nec poteſt tantis ſatis eſſe votis
Unicus orbis.
Unus, Ignati, loca cuncta reples,
Nempe te totum Deus implet unus,
Hujus ut Numen populis reveles
Numine plenus.
Trinitas unum veneranda Numen,
Da tuæ laudis decus ad perenne,
Optimi Patris celebrare nomen
Tempus in omne. Amen.

AD LAUDES.

O Mira ſors Ignatii!
Mendicus eſt ex divite;
Dei capax conſortii
Ex bellicoſo milite.
Alto penetrans lumine
Summi Dei ſacraria,

Diſcit magiſtro Numine
Quæ ſcita dat ſalubria.
Terris agens in exteris
Chriſti ſacris origine,
Quærit ſalutem barbaris
Suo parandam ſanguine.
Fruſtratus hac ſpe nobili,
Dei, fit hoſtis hoſtibus:
Zelo flagrans apoſtoli
Reſiſtit unus omnibus.
Urget palam nefarios,
Pravóſque mores corrigit,
Et hæreſum ſectarios;
Et cæteros non negligit.
Sed ethnicorum cariùs
Stabit ſalus Xaverio;
O patre dignus filius!
Patérque dignus filio!
JESU, tibi ſit gloria,
Patri, ſacróque Flamini:
Sit laus, decus, victoria
JESU potenti nomini. Amen.

DE

S. FRANCISCO XAVERIO.

AD VESPERAS *& Matutinum.*

INDORUM domitor, doctor, apoſtolus,
Cunctis omnis homo, moribus angelus,
Virgo, perpetuò corpore virgine,
Et martyr, ſine ſanguine:
O Franciſce, novi tu decus ordinis,
Quem JESU celebrat gloria nominis:
Hunc per regna procul provehis extera,
Mox laturus ad æthera.
Tu vas grande Deo ferris ad omnia!
Admiranda potens ſumere munia,
Et portare plagis Japonis inſulæ
Chriſti nomen amabile.

Quænam terra tuis invia greſſibus ?
Quæ non plena ſacris ora laboribus ?
Intraſti latebras dæmonis ultimas,
Gentes indole peſſimas.
Hinc gens Chriſtiadum quanta fidelium ?
Quot, baptiſta, lavas millia miſſium ?
Conſtant pluribus hæc num tibi paſſibus ?
An factis magè grandibus ?
En delubra vacant, & ſacra dæmonum,
Et calcata jacent agmina numinum,
Quæ dum fracta ſuis ædibus obruis,
Tu Chriſto ſimul extruis.
Sanctæ ſit Triadi gloria jugiter,
Sit cum Xaverii laude perenniter;
Jesu ſítque ſacro gloria nomini,
Omnis laudis origini. Amen.

AD LAVDES.

DEo fruens profuſiùs,
Sat eſt, ſat eſt dulcedinum;
His pone, Chriſte, terminum,
Sat eſt, ait Xaverius.
Amoris ictu ſaucius,
Sacróque languens vulnere,

Clamat retecto pectore,
Sat eſt, adure mitiùs.
Sed eſt pati præſtantius;
Hoc optat abſque limite;
Ardore cordis perpete
Semper pati vult ampliùs.
Tot ecce paſſus ſæpius,
Terræ, mariſq; diſcrimina,
Tot hoſtium certamina,
Vult ampliùs, vult ampliùs.
Malis domari neſcius,
Vult carceres, vult vincula,
Flammas, cruces, & ſpicula;
Numquam ſatis: vult ampliùs.
Sinæ negato tranſitu,
Hac ſorte preſſus aſperâ,
Transfertur hinc ad ſidera
Fauſto laboris exitu.
Uni ſupremo Numini
Sit Trinitati gloria:
Sit laus, decus, victoria
JESU ſalubri Nomini. Amen.

DE

S. FRANCISCO BORGIA.

AD VESPERAS,

& Matutinum.

Desertor aulæ nobilis,
Quàm mente rerum prodigâ;
Rectè ſaluti conſulis
Mundi doloſi transfuga!
  Sponſæ tibi dum regiæ
Fœdum cadaver ſiſtitur,
Carnis patent præſtigiæ,
Mundi dolus proponitur.
  In hoc vides cadavere
Quæ corporis ſit fœditas,
Quid ſit mori, quid vivere,
Et quanta rerum vanitas.
  Sic nos, ait, deludimur?
Franciſce, finem reſpice:
Ut quid volentes fallimur?
Jam nunc futura proſpice.
  O ſpes valete futiles,
Honos, voluptas, curia;

Opes faceſſant mobiles,
Domus, ducatus, patria:
Quæ Cæſaris, ſint Cæſari;
Herum placet non ſumere
Cui ſtet ſubeſſe tempori,
Sed me Deo jam ſubdere.
Sic dixit, & ſic præſtitit,
Rebus relictis omnibus:
Demúmque ſeſe tradidit
JESU piis ſodalibus.
JESU, ſuprema claritas,
Tibi; Patri cum Flamine
Æterna ſit felicitas,
Et laus tuo pro nomine. Amen.

AD LAUDES.

QUIS te ſacris altaribus
Franciſce, ſtratum viderit,
Et jam frui non dixerit
Claris Dei conſpectibus?
Circùm refuſo lumine
Quo pura ſplendent pectora,
Vultus micant ut ſidera,
Hauſto calentes Numine.
Ex hoc amoris ubere
Sacros amores elicis,
Totúmque Numen allicis,
Sub hoc amantis pignore.

Vi ſemper hinc avelleris,
Nullis repulſus tædiis:
His paſceris cupediis,
Nec tu famem repleveris.
Ad ſacra qualis advenis!
Quò fungeris ferventiùs,
Præſtare vis frequentiùs,
Et velle nunquam deſinis.
Languente demum corpore
Adſtans ſacris altaribus,
Fractis recedis viribus,
Inſtante preſſus funere.
Stellata tangis oſtia;
En jam remoto tegmine
Chriſti fruêris lumine,
Cadens amoris hoſtia.
Tibi, Patri, cum Flamine,
JESU, ſuprema claritas
Æterna ſit felicitas,
Et laus tuo pro Nomine. Amen.

DE
BEATO ALOÏSIO.
AD VESPERAS,
& Matutinum.

INFENSUS hoſtis gloriæ,
Omníſque culpæ neſcius,
Et mollis oſor curiæ
Laudetur Aloïſius.
Almâ juvante Virgine
Ex matris alvo ducitur,
Simúlque ſacro flumine
Naſcens puer renaſcitur.
Primis ab íncunabulis,
Piæ loquelæ ſemina,
Caſtis fluunt labellulis
Jesu, Mariæ nomina.
Summo dicatus Numini,
Curas profanas abdicat,
Et ſe decennis Virgini
Per caſtitatem dedicat.
Deo trahente cœlitus,
Sic mente pergit vivere,

Ut carnis expers ſpiritus,
Vel angelus cum corpore.
Hunc non honores ſæculi,
Non magna tangunt nomina,
Non aulici, non ſervuli,
Non cara gentis agmina.
Sed hæc habens deſpectui,
Puríſque raptus gaudiis;
Adjunctus almo cœtui,
Chriſti meret ſtipendiis.
Uni ter almo Numini
Sit laus, decus, dilectio,
Sanctóque Jesu nomini;
Sit laus & Aloïſio. Amen.

AD LAUDES.

DOmûs cupitæ limina,
Ut fauſtitatis culmina,
Videns, & intrans ocyùs
Triumphat Aloïſius.
Hic ſe quietus abdidit,
Et in Deo ſe perdidit:
Hæc ejus una functio,
Dei frui conſortio.
Unum, Deus, te cogitat,
Et corde toto flagitat:
Te non amet, non vixerit;
Unum Deum ſic deperit.

Hinc lacrymarum flumina,
Pandunt, rigántque lumina;
Amoris undis mergitur,
Flammis amoris uritur.
Illo nihil perfectius,
Nihil fuit conſtantius:
Omni carens labeculâ,
Fit ſanctitatis regula.
Sibi tamen non æquior,
Sed uſque fit ſeverior;
Vexat, domat corpuſculum,
Cui non ſubeſt piaculum.
Non parcit ægris artubus;
Non abſtinet laboribus:
His vita ſenſim tollitur,
Et morte finis ponitur.
Uni ter almo Numini,
Sanctóque JESU Nomini,
Sit laus, decus, dilectio,
Sit laus & Aloïſio. Amen.

De
Beato Stanislao.

Ad Veſperas, & Matutinum.

Foetus, Staniſla, gratiæ,
Exemplar innocentiæ,
Terreſtris Orbis angele,
Tranſmiſſe cœlo floſcule.
Primo juventæ tempore,
Summo potiris æthere,
Vitæ brevis compendio,
Felice cum diſpendio.
Tu nempe cœlo charior,
Rebus ſacris maturior,
Puris relucens moribus,
Par es beatis mentibus.
Sed prô novum miraculum!
Altaris almi pabulum
Tibi miniſtrant Angeli,
Tanti favoris æmuli.
Ægro jacentem corpore
Dignatur & te viſere,

Virgo parens cum filio,
Omnis mali ſolatio.
Quibus flagras incendiis?
Quantis triumphas gaudiis?
Quot fers amoris ſpicula,
Ejus ruens in oſcula?
Hîc admonente Virgine,
Ipſóque plenus Numine,
Jesu dicatus nomini
Das nomen ejus ordini.
Tibi, beata Trinitas,
Laudum perennis unitas;
Laus & beatis omnibus
Sit Virginis clientibus. Amen.

AD LAUDES.

Viator en amabilis,
Puer Staniſlas nobilis
Pannis amictus vilibus
Clam ſe recepit omnibus.
Nullo moratur objice,
Chriſtóque ductus auſpice,
Domum venit plaudentibus
Ignatij ſodalibus.
Cunctis ſubeſt tironibus,
Sed his præit virtutibus;
Rerum capax cœleſtium,
Jam fit magiſter omnium.

Ardore miſſo cœlitus,
Incenditur medullitus:
Nec corda ſedant ignea
Perfuſa lymphis lintea.
Hoc igne totus uritur,
Flammis ſuis abſumitur:
Sed uritur ſuaviter,
Et occidit feliciter.
Nam quo die prædixerat,
Adeſſe quo ſperaverat
Cœlo receptæ Virgini,
Mentem refudit Numini.
Tibi, beata Trinitas,
Laudum perennis unitas;
Laus & beatis omnibus
Sit Virginis clientibus. Amen.

DE

SS. TRIBUS MARTYRIBUS

JAPONENSIBUS,

PAULO, JOANNE, ET JACOBO.

AD VESPERAS, & Matutinum.

ILLUSTRES animas, ignea pectora,
Ignatî Sobolem, charáque pignora,
Athletas canimus non ſuperabiles,
Palmari nece nobiles.
Fœdis multa diu per loca curribus
Raptantur, mutilis turpiter auribus;
Sed probris cuperent pluribus appeti,
Fortes omnia perpeti.
Hos nullis opus eſt ſiſtere vinculis,
Non eſt, Miles, opus, cingere ſpiculis;
Quò vitam properas tollere certius,
Hoc optant dare promptiùs.

Nam mens innocui conſcia pectoris,
Mactandíque ſui prodiga corporis,
Gentis primitias auſpice Numine
Geſtit tingere ſanguine.
Inſtrumenta feris facta piaculis,
Altæ ligna crucis ſingula ſingulis
Aptant horrificæ carnificum manus;
Dirum ſupplicii genus!
Proſtant fixa cruci corpora Martyrum,
Fuſo tota natant ſanguine vulnerum;
Dum felix animus corpore ſolvitur,
Cœli civibus additur.
Sanctæ ſit Triadi gloria jugiter,
Sit cum Martyribus juncta perenniter,
Jesu ſítque ſacro gloria nomini,
Omnis laudis origini. Amen.

AD LAUDES.

En trina pendet victima
Novi gregis pars optima,
Nullo ſuo pro crimine,
Suo litans ex ſanguine.
Ardore Paulus perpeti
Crucis ligatus ſtipiti,
Verbis micat cœleſtibus
Chriſtum loquens adſtantibus.

Jam ſacra verbi ſemina,
Vitæ beatæ germina,
Docens ubique jecerat,
Magnóſque fructus ceperat.
Hoc rite functus munere,
Celſo locandus æthere,
Quod ore præco fuderat
Martyr cruore roborat.
Hujus ſodales intimi
Mortíſque pœnâ proximi
Primus Joannes ordine,
Jacobus, alter, nomine.
Ambo gravi ſub vulnere
Cadunt beato funere,
In his uterque dulcibus,
JESU, Maria, vocibus.
Uni ſupremo Numini,
Sanctóque JESU nomini,
Pro Martyrum victoria
Sit ſempiterna gloria. Amen.

BIBLIOTEC. VITTORIO EMA... IN ROMA

Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

20